

suis merita; nec licet jam alia signa instituire ad effectum illum principalem: ad alia beneficia minora reliquit ecclesie potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita. Hæc Bellarminus; vide etiam Azorium, parit. 1. leg. 4. cap. 11. quest. 4.

Prodest etiam aqua benedicta, aspersa super sepulchra, animabus purgatorii; apud Mendo, in Append. ad Bull. Cruc. disp. 4. cap. 2. habemus, quod in perillustri Canonico. regul. S. Augustini Canobio Legionen. sub titulo S. Isidori extructo, extat in Bibliotheca Vita S. Martini Canon. Reg. ibidem sepulsi, in qua refertur, eum, dum viveret, familiaritari habuisse colloquia cum anima sacerdotis defuncti in purgatorio vexata, ab eaque plura didicisse circa animarum cruciatu, inter que id fuisse illi significatum, animas purgatorii refrigerium in cruciatu ignis sentire, quoties fideles sepulchra suorum corporum aqua benedicta aspergebant, idque in se ipsis experiri, quod experitur quis in hac vita, dum nimio calore vexatur, si aspergatur aqua. Hinc P. Cavaleri in agenda defunctorum, cap. 15. decret. qd. num. 4. non sine fundamento asserit, aspergi cadaver aqua benedicta non tantum ad expellendos demones, ne ei illudant, aut fidellum orationes impediunt; sed etiam in symbolum desiderii nostri, quo defunctorum animas cælesti rore aspergi optamus, unde illis purgatorii ardor mitigetur, & omnimodò extingatur. Ex veteri quodam libro sacerdotali Marsilius Columna in Hydragiologia, sect. 2. cap. 2. profert etiam hoc decretum à Nannetensi Synodo promulgatum: Omnibus diebus dominicis unusquisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemniam aquam benedictam faciat, in vase nitido, & tanto mysterio conveniente, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur; & atrium ejusdem ecclesie cum crucibus circumcundo similiter aspergat, & pro animalibus ibidem quietentibus orat. Eadem sermo recitant Centuriatores, cent. 10. cap. 6. ex lib. 1. Rhegionis, de disciplina ecclesiastica, cap. 110. & ex Burchardo Vormacensi, lib. 2. cap. 12. P. Meratus in Gavantu, tom. 1. part. 4. tit. 19. num. 1. Atque inde fortassis orta consuetudo illa, quam stetit apud priscos ecclesie fideles tradit ex Casalo P. Cavaleri in agenda defuncti. c. 15. decret. 9. num. 6. tum crucem, tum aquam benedictam in sepulchris ipsis una cum cadaveribus reconducit. Consule P. Raynaudum, in heteroclit. spiritual. tom. 15. part. 2. sect. 3. punct. 12. quest. 5. & tom. 16. sect. 2. punct. 5. ubi suo more doctrinam hanc mirifice illustrat. ¶

- 6 Aqua laustralis benedictio est facienda singulis quibusque diebus dominicis (exceptis Pascha, & Pentecostes; ut habet Gavantu. ex missali Rom. in manuali Episc. verb. Aqua benedicta.) Et ea aspergendus est populus, & altare cum antiphona. Asperget, vel alia, quæ pro tempore occurret, & Psalmo, vel versu, Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Sic expressè Concil. Ravennaten. sub Clem. V. cap. 9. Leo IV. homil. de cura pastoralis. Concil. Mediolanen. l. part. 2. tit. de offic. Sacerdotis. Et hæc aqua benedictæ aspersio in dominicis diebus fieri debet per ipsum celebrantem, etiamsi sit prima dignitas, vel alia dignitas, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela, quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas missalis romani, & dispositionem ceremonialis Episcoporum. lib. 2. c. 30. quæ tollit omnem contrariam consuetudinem. Sac. Congreg. Rituum, in Perusina 29. Novembris 1632.
- 9 Et quoad hujus aquæ benedictæ asperionem est sciendum, debere fieri singillatim quibuscumque dignitatibus, & canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextero cornu existunt, non unico actu in circulo. Sac. Congreg. Rit. in Perusina, 20. Decembr. 1501.
- 10 Aqua benedicta, vel oleum benedictum, si deficere videatur, & alia aqua benedicta, vel oleum benedictum haberi non possit, potest reparari per additionem alterius aquæ non benedictæ, vel respectivè alterius olei non benedicti in minori quantitate; quia tunc tota aqua fiet benedicta, sicuti totum oleum redditur benedictum: cap. Quod in dubis 3. de consecrat. eccles. vel altar. quia ut ait Gloss. ibi. verb. Consecrato: Sacrum tanquam dignus trahit ad se non sacrum. Et sic disponit rituale ro-

manum, rubr. de sacrament. Baptismi, & Extrema-Uncionis. Et talis creditur esse voluntas ecclesie, quam usus, & Doctorem traditio confirmant.

Aqua benedictæ aspersorium Episcopus accedenti ad ecclesiam debet ministrari à prima dignitate, vel digniore canonico. Sac. Cong. Rit. in Salamantina, 16. Julii 1605. & in Suranen. 12. Martii 1612. Accedenti verò ad ecclesiam collegiatam, seu ad quemcumque altam, etiam regularium, porrigendum est à digniore illius ecclesie, ad quam accedit Episcopus, sive Legatus, sive alius Prælatum; non verò à dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis, quatenus ibi adsit; Sac. Cong. Rit. in Caraminens. 15. Martii 1608. ibi: "Sac. Rit. Congr. inharerendo aliis decretis aliis hæc de re emanatis censuit, aspersorium aquæ benedictæ porrigendum esse Episcopo à Priore ecclesie collegiatæ, dum ibi accedit Episcopus; non autem à prima dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis, si ibi desit in una Bononiens. 14. Februarii 1632. ibi: Sac. Rit. Congr. respondit, aspersorium Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Legato aliquam ecclesiam occasione publice processionis, seu quacumque alia de causa ingressi, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo metropolitanæ porrigi debere, sed à digniore illius ecclesie, ad quam Eminentissimus, & Reverendissimus Cardin. Legatus accedit, & ita imposterum servari mandavit. Et iterum die 8. Febr. 1648. ibi: Sac. Rit. Congr. respondit, Episcopo Rhegensi extra suam cathedrali in aliam ecclesiam, sive secularium, sive regularium ingrediens aspersorium porrigi debere per digniorem illius, ad quam Episcopus accedit, & nullo modo per dignitates, aut canonicos cathedralis, & ita in casu proposito servari mandavit." Et rursus declaravit die 12. Martii 1665. in causa inter Archiepiscopum, & Abbatem, ac Monachos S. Vitalis Ravennæ, quod accedente Domino Archiepiscopo ad præfatam ecclesiam una cum Capitulo Metropolitanæ ad exercendum pontificalia in die festo, debet Abbas tradere, & porrigere aspersorium aquæ benedictæ eidem Archiepiscopo immediate, non autem Archidiacono, vel alteri de capitulo, qui illud porrigat Archiepiscopo. Et cum fuerint pro parte dicti capituli exhibiti articuli ad probandum ex literis remissoriis antiquam consuetudinem porrigendi per Abbatem aspersorium primæ dignitati, eadem Sac. Cong. die 6. Junii 1666. denegandas esse censuit.

Prælato Referendaris, & Gubernatori civitatis, accedenti ad ecclesiam datur aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo Ministro Cotta induto, non autem per traditionem aspersorii, quo se ipsum signet, & alios per asperionem, ut auditus partibus Sac. Cong. Rit. declaravit in Aesina 7. Junii 1704.

\*\*\* Aqua benedicta non se signat sacerdos, dum è sacristia celebratur procedit. Sic expressè erudiiss. P. Cavaleri in agenda defunctorum, c. 12. n. 3. ubi ineluctabile argumentum desumit ex rubrica, quæ nulla mentione facta super crucis signo, sacerdotem manu sinistra tenentem cælicem, & manu dextera super bursam ad altare facit incedere; ubi quoties requirit signum crucis, illud semper aperire indicat. Et urget adhuc, quod eadem rubrica, cruci tum sacristia, tum altaris majoris, si ante illud sacerdotem transire contingat, velato capite reverentiam præscribit, ne detracta è bursa manu (concordes exponunt Auctores), aliquid è calice decidat. Hinc, quum quid simile facile evenire posset, si sacerdos, dum è sacristia ad ecclesiam procedit sumere deberet aquam lastralem, & se signo crucis signare, & aliunde insuper factè humectaret bursam; quid unquam persilientium super crucis signo credi potest voluisse ecclesiam, nisi quod hoc minime fiat? Hæc ille; & quidem rectè, nam hanc præxim vigere apud sacerdotes rubricarum exactos observatores scio.\*\*\*

¶ Notat insuper idem Cavaleri loc. cit. num. 2. ex Severo Patriarcha Alex. in Ordin. Oblationis, Biblioth. PP. Thom. 12. pag. 734. edit. Lugd. 1677. quod antiqui ante amictum tunc se signabant, & manu tantum; rubrica verò signi crucis non mementit unde præter rubricam deprehenduntur agere, qui hoc loco se signant, & adhuc peccant contra consuetum morem, qui in hujusmodi signo

no à fronte ad pectus ducunt amictum. Immo petita venia fidenter subjungit, quod se gerunt contra rubricam, quam credit substituisse oscula crucum in amictu, manipulo, & stola loco trium signorum crucis, quæ summationi sacrarum vestium veteres solebant præmittere. Ex quibus tandem n. 3. concludit, superfluum adhuc esse illud signum crucis in egressu sacerdotis è sacristia, quod jam idem sacerdos in sacristia aquivalenter egit in recessis oculis trium crucum, & formaliter statim debet agere, antequam ante altare missam inchoet, juxta illum consuetum in ecclesia morem iustitiam quolibet auspicandi à salutifero crucis signo. Hæc P. Cavaleri, qui eandem questionem denuo proponit, & similiter resolvit tom. 5. Oper. & 7. n. 26. novisque argumentis, & auctoritatibus confirmat; quibus addi potest P. Laboranti lib. 1. Direct. sac. part. 2. tit. 2. n. 141.

Licet hic nonnullas questiones ponere ad ejusdem materiæ complementum aliquod. Primo igitur quaeritur: Utrum unica benedictione possint benedigi plures fontes aquæ inter se distantes? Respondet P. Quarti tit. 3. de benedict. sect. 1. dub. 3. n. 209. posse valide, & licite, modo sint coram benedictionis ministro, & modo idem minister post orationes, vel exorcismos accedat ad singulos fontes, quando facienda est mixtio salis cum aqua. Ratio est, quia sufficit presentia moralis coram ministro. Quæritur secundo: An liceat aquæ benedictæ miscere parum aquæ rosacæ ob fragrantiam? Respondet P. Quarti cit. dub. 5. n. 211. in parva quantitate non esse illicitum; tum quia nulla apparet indecentia, tum quia consuetudo ita obtinuit, scientibus & non contradicentibus Episcopis; tunc denique à pari, quia cum incenso benediciendo misceri solent alia aromata melioris odoris.

Quæritur tertio: An, & quale peccatum esset, si quis exponeret aquam non benedictam pro benedicta? Respondet P. Quarti cit. dub. 6. n. 212. si id fieret data opera, vel ex gravi negligentia, fore peccatum veniale, secluso contemptu, vel fine moraliter malo; quia in hoc non apparet irreverentia gravis contra religionem, nec grave damnum aliorum; sicut nec graviter peccaret, qui daret alteri candelam non benedictam pro benedicta. Nec valet paritas reliquiarii, in quibus hujusmodi frans committi nequit sine peccato lethali: quia sanctorum reliquiæ sunt in superiori ordine rerum sacrarum, & majori veneratione dignæ. De facto nunquam permissit ecclesie sacras reliquias in terram projici, vel conculcari, cum tamen sepius contingat aquam benedictam in terram cadere, quando asperguntur fideles, nec ulla adhibetur cautela, ne à præterentibus teratur pedibus.

Quæritur quarto: Utrum ad consequendos effectus aquæ benedictæ requiratur ejusdem contactus physicus? Respondet P. Quarti loc. cit. dub. 7. num. 213. sufficere contactum morale, qui censetur intervenire, quoties aqua quæ acceptatur à personis, ad quas dirigitur, signo aliquo, ex gr. inclinatione, aut simili gestu: vel si fiat aspersio super res insensibiles, quoties intentio aspergentis ad eas dirigitur, quamvis aqua non pertingat physicè ad illas; tunc quia secundum ecclesie usum fieri solet aspersio hujusmodi aquæ, vel in choro super clerum, vel in ecclesia super populum in tali distantia, ut vix aqua ad paucos pertingat, & tamen omnes censentur aspergi, & participes fructus inde provenientis; tum etiam à pari quia quando benedicuntur palmæ, vel candelæ &c. præsertim in magno numero, certum est aquam non pertingere ad singulos ramos, vel candelas, & tamen omnes censentur benedictæ, & aqua sanctificata; tum denique à simili, quia ad valorem, & effectum sacramenti Ordinis sufficit contactus moralis materiæ, juxta probabilè morem sententiam.

Quæritur quinto: Quale peccatum sit aquam benedictam profanare, si quis ex. gr. citra scandalum tamen aut contemptum, aqua benedicta uteretur ad humectandum atramentarium, scripturum præsertim res turpes aut peccaminosas? Respondit P. Coronelli in Biblioth. univ. tom. 1. pag. 1090. hoc, secundum aliquos, nullum fore peccatum lethale, quia ille abusus aquæ benedictæ fit solo animo humectandi atramentum; aqua vero suam omninò perdit benedictionem statim ac usum aquæ de-

perdit. Ita ex Castropal. tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. n. 25. Sed probabilius, ac tutius esse ait, hujusmodi abusum non posse fieri sine peccato lethali, tum propter indecentiam, atque irreverentiam gravem; tum quia, ex Azor. part. 1. Instit. mor. lib. 9. c. 9. quest. 7. id, quod cultui divino consecratum est, non debet in usum profanos, & multo minus peccaminosos converti; Cassian. à S. Elia vers. Aqua §. 4.

Quæritur sexto: An usus aquæ benedictæ sit prohibitus excommunicatis? Aliqui docent esse prohibitum ita, ut venialiter peccet excommunicatus, si ea se aspergat, quia privatur communibus ecclesie suffragiis, inter quæ numeratur aqua benedicta, quippe quæ totam vim suam habet ex meritis, & intercessionibus ecclesie; Bonac. de excomm. disp. 2. quest. 2. §. 2. n. 9. Alii tamen cum P. Quarti cit. dub. 8. n. 214. sustinent, tamquam probabilius, quod quamvis excommunicati non possint aqua benedicta uti, tamquam bono communi, seu communi ecclesie suffragio, videlicet ad consequendos ejus effectus ex meritis ecclesie, à quibus sunt exclusi, possunt nihilominus ea uti, tamquam re sacra, & instrumentum suæ privatæ devotionis, sicut possunt uti signo crucis, rosario, vel corona B. V. tunstione pectoris, & aliis similibus rebus sacris, quarum aliquæ inter sacramentalia computantur.

Quæritur septimo: An tempore Interdicti fieri possit aspersio aquæ benedictæ? Respondet P. Coronelli l. c. pag. 1092. posse fieri, dummodo populus sine ulla solemnitate aspergatur; Sayr. de cens. lib. 5. c. 6. Tabiena vers. Aqua n. 5. & 23. Cassian. à S. Elia vers. Aqua §. 3.

Quæritur ultimo: Utrum aqua benedicta vendi possit sine labe simonia? Respondet P. Raymundus tom. 16. in Heterocl. Spirit. sect. 2. punct. 5. eam non posse vendi pretio majore, eo quod sit consecrata. Sic enim admittetur simonia, ut rectè statuit Mich. Lochmayer in Parochiali Cura. iii. ult. & Gul. Redoan. tract. de Simon. part. 3. c. 18. P. Valentia tom. 3. disp. 6. quest. 16. punct. 2. quest. 5. negat aquam benedictam, etiam ratione materiæ, & eam venditionem damnat simonia. Marsilius Columna in Hydragiol. sect. 2. cap. 7. n. 45. anceps videtur, an facultas portandi aquam benedictam vendi possit; quamvis ait esse aliquorum sententiam, quod ea facultas vendi possit. Verum quod aqua benedicta, quatenus elementum, sit vendibilis, est communis sententia ut notat Suar. de Simon. c. 14. n. 6. 7. & 10. Neque sanè est fundamentum idoneum asserendi eam elementi indivisibilitatem, quia ut sic non est res sacra. Undè sicut calix consecratus, quamvis non possit vendi ratione consecrationis, potest tamen vendi quatenus aureus, vel argenteus; ita & aqua. Et idem est de materia remota sacramentorum, quam constat vendi posse, ut rectè statuit Suarez de Simon. cap. 11. num. 2. retundens c. 14. à num. 5. varias distinctiones, sub quibus aliqui Doctores asseruerunt, sacramentalia vendi non posse quoad materiam, contrarium adstruens, ut simpliciter verum. ¶

ARBITER, ARBITRATOR.

SUMMARIUM.

- 1 ARBITER quis sit, & quotuplex, ad num. 6.
- 7 Arbitri juris necessarii, & voluntarii in quo differant, ad num. 12.
- 13 Arbitratores quinam sint, & in quo differant ab arbitris, ad num. 18.
- 19 Arbitr in quo differat à iudice, ad num. 22.
- 23 In arbitros compromittere quis possit.
- 24 Arbitr quis esse possit, ad num. 35.
- 26 Compromissum an fieri possit in iudicem etiam respectu cause coram ipso agitate, ad num. 37.
- 38 In arbitros an fieri possit compromissum, & quorum arbitrio standum sit in decisione cause, ad n. 44.
- 45 De quibus, & qualiter arbitri ferre possint arbitrium, ad num. 54.



- 55 Super quibus fieri possit compromissum in arbitris, ad num. 63.  
 64 Effectus compromissi in arbitros, & laudi per ipsos pronuntiati, ad num. 73.  
 74 Quid sit laudum arbitri iniquum sit.  
 75 Compromissum, seu arbitri officium quando cesset, ad num. 87.  
 88 Subveniuntur additiones ex aliena manu, ad n. 101.

ARBITER dicitur est ab arbitrando, censendo, & aestimando: Est enim arbiter quilibet vir bonus ad aliquod negotium aestimandum, & terminandum assumptus, ut sic quid sibi de re aliqua videatur, pronuntiet. Sic DD. communiter per text. in l. Quis 52. Cod. de Decurionibus.

Arbitri vocabulum varias habet acceptiones: Interdum enim sumitur pro teste, ut Genes. c. 39. num. 17. ibi: *Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, & operis quidpiam absque arbitris faceret.* Aliquando accipitur pro domino alicujus rei, de qua pro suo arbitrio, seu libitu disponere potest, unde *quisque dicitur rei suae moderator, atque arbiter; leg. In re mandata 25. Cod. Mandati.* Quandoque arbiter capitur pro iudice sive ordinario, sive delegato, ut in l. Arbitror 9. & l. Ab arbitrio 10. ff. Qui satisfacere cogantur, leg. Quisquis 6. Cod. de postulando.

Proprie autem, & magis stricte quantum ad nostrum propositum, arbiter est is, qui sive ex iure, seu legis praescripto, sive ex partium conventionibus constituitur, eligitur, ut circa exortam controversiam suum arbitrium, seu iudicium pronuntiet. Sic in re communis.

Arbitrorum duplex est genus: Alii enim sunt arbitri juris, seu necessarii, & alii arbitri voluntarii seu compromissarii, communis per text. in leg. Societatem 76. ff. pro Socio.

Arbitri juris, sive necessarii sunt illi, qui ex necessitate, ac praescripto legis, aut statuti, vel a iudice, vel a partibus constituti debent, & de istis varia habentur exempla in iure, ut in c. Suspicionis 39. de officio Delegati, c. Si contra 4. & c. Ab arbitris 11. eod. in 6. ubi jubentur eligi arbitri ad cognoscendum, cur iudex pro suspecto recusetur; item in c. Pastoralis 14. de Rescriptis, ubi statuitur eligendos esse a partibus arbitros ad dijudicandam causam inter diversos iudices super revocatione litterarum apostolicarum discordantes. Item in c. Si Clericus 46. caus. 11. quest. 1. ubi si Episcopus cum Clerico sibi subito controversiam habeat, ea decernitur decidenda per arbitros de utriusque partis consensu electos. Et sic de aliis. Communis.

Arbitri voluntarii, seu compromissarii sunt illi, qui sponte, & nullo iure praecipiente ex libero partium consensu, seu compromisso constituuntur; Hinc dicuntur *Voluntarii* ad denotandum, quod nulla iuris, seu legis necessitate, sed libera partium voluntate eliguntur, & *Compromissarii* appelluntur, quia ex concordati partium compromisso assumuntur.

Arbitri juris, seu necessarii in multis differunt ab arbitris voluntariis, seu compromissariis. Primo quia arbitri juris, seu necessarii compelli possunt ad hoc munus suscipiendum: c. Cum speciali 61. de appellat. Arbitri autem voluntarii, seu compromissarii compelli non possunt ad illud munus, seu compromissum acceptandum, sed libere illud possunt suscipere, ac respuere, prout eis placuerit, l. Labeo 3. ff. de Receptis, qui arbitrium recipiunt. Et ratio hujus diversitatis est, quia arbitri voluntarii, seu compromissarii assumuntur libere, & extra necessitatem jurisdictionis, ut dicitur in cit. l. Labeo, §. 2. Arbitri juris, seu necessarii assumuntur ex necessitate, seu praescripto iuris, habentque jurisdictionem: Unde sicut munus iudicandi est necessitatis, & necessario acceptari debet l. Munerum 18. §. Judicandi, ff. de numeribus, ita etiam hoc munus arbitrandi, seu iudicandi ex praescripto legis. Pirhing. lib. 1. decret. tit. 43. n. 4. Reiffenstuel ibid. n. 20. & alii passim.

Quamvis autem arbitri voluntarii, seu compromissarii ex dictis compelli nequeant ad compromissum acceptandum, compelli tamen possunt ad illud implendum, si acceptaverint, textu expresso in citat. l. Labeo, §. 2.

Nisi aliquid superveniens necessarium, ac grave impedimentum eos excuset ut inaleudum, propriorum negotiorum necessaria occupatio, urgens profectio, inimicitiae capitales inter eos, & litigatores, susceptum munus aliquod reipublicae, & hujusmodi, textu expresso in l. Licet autem 15. & leg. Et si 16. ff. de Receptis, qui arbitrium recipiunt. Pirhing. cit. n. 4. Reiffenstuel cit. n. 20. & alii passim.

Secundo differunt, quia arbitri juris, seu necessarii habent jurisdictionem, & quamdam coercionem a lege ipsis datam ad expedienda omnia, quae ad causam definiendam sunt necessaria, ut citare partes, testes compellere, eosque examinare, ac punire, si sint inobedientes; c. Suspicionis 39. de Officio Delegati, & ibi Glossa verb. Ad quos omnia. Arbitri vero voluntarii, seu compromissarii nullam habent jurisdictionem, & coercionem nisi tantum cognitionem, seu notionem quamdam, l. Ait Praetor 5. ff. de re iudicata, ac notat Abbas in 6. Cum dilectus 6. n. 3. de arbitris. Isti enim arbitri totam partem testatam a partibus compromittentibus accipiunt: privati autem jurisdictionem, seu potestatem publicam conferre non possunt; leg. Privatorum 3. Cod. de iurisdictione, omnium iudic. Hinc arbitri voluntarii, seu compromissarii non possunt compellere testes ad comparandum, nec eos, si delinquant, punire, nec partibus compromittentibus imperare, nisi quatenus ipsae per compromissum sponte se obligaverunt. Gloss. in cit. c. Cum dilectus 6. ver. 11. de arbitris. Molina tract. 5. de iustitia disp. 23. n. 11. Pirhing. loc. cit. num. 5. Reiffenstuel loc. citat. num. 18. & 19. & alii.

Tertio differunt, quia ab arbitrio, seu laudo arbitrorum juris, seu necessarium appellari potest, l. Arbitror 9. ff. Qui satisfacere cogantur, c. Ab arbitris 11. de officio Delegati in 6. & Glossa final. ibid. Ab arbitrio autem, seu laudo arbitrorum voluntariorum, seu compromissariorum appellari non potest, leg. Diem proferre 27. §. 2. & leg. Non distinguamus 32. §. 14. ff. de Receptis, qui arbitrium recipiunt, leg. Ex sententia 1. Cod. de receptis arbitris. Et ratio diversitatis est, quia cum partes compromittere in arbitros juris, seu necessarios teneantur necessitate legis, seu coactione iudicis, aequum est, ut pars, quae se gravatam sentit, ab eorum arbitrio, seu laudo, vel sententia appellare possit: Contra autem cum partes non necessitate legis, nec coactione iudicis, sed mera, & spontanea sua voluntate arbitros voluntarios, seu compromissarios eligant, & se obligent ad standum eorum arbitrio, seu laudo, aequum est, quod non impugnent illud, & pars, quae se gravatam sentit, sibi impetare debet, si omisso iudice competenti, a quo si laxa fuisset, appellare potuisset, voluit adire arbitrum, a cuius arbitrio, seu laudo non datur appellatio, textu expresso in cit. leg. Diem proferre 27. §. 2. ff. de Receptis, ibi: *Stari autem debet sententia arbitri, quam de re dixerit, sive aqua, sive iniqua sit, & sibi impetare, qui compromisit:* Glossa fin. in cit. c. Ab arbitris. Abbas in cit. c. Suspicionis n. 7. Engel. l. 1. decret. tit. 43. n. 7. Pirhing. ib. n. 5. Reiffenstuel ib. n. 57. & alii passim.

Licet autem ab arbitrio, vel laudo arbitrorum voluntariorum, seu compromissariorum non detur proprie appellatio, tamen si eorum laudum, seu arbitrium sit manifeste injustum, potest officium iudicis implorari, ac postulari, ut illud ad iustitiam reducat secundum boni ac prudentis viri iudicium; & interim contra executionem dicti injusti, iniqui, seu dolosi arbitrii, vel laudi exceptio *doli mali datur*, per text. in cit. leg. Non distinguemus 32. §. 14. ff. de Receptis, qui arbitrium, & in leg. Arbitrorum 3. Cod. de receptis arbitris, & in c. Non sine 2. §. Quoniam, de Arbitris, sic Glossa marg. in cit. cap. Ab arbitris in fine. Abbas in cit. cap. Non sine numer. 14. & 15. Engel. loc. cit. num. 8. Pirhing. loc. cit. num. 5. & alii.

Quamvis nomen arbitri in lata, & generali acceptione possit etiam convenire arbitratori, & amicabili compositor, stricte tamen, & proprie isti inter se differunt. Nam amicabiles compositores stricte & proprie sumpti, sunt qui nullo praecedente compromisso, vel pacto partium, sponte, ac proprio motu, seu rogatu alicujus extranei dis-

discordantes partes amicabiliter componunt, & pacificant. *Authent. Si vero, Cod. de Jud.* Et isti amicabiles compositores non sunt proprie dicti nec arbitri, nec arbitratores, ut colligitur, ex leg. Pomponius 13. §. Recepisse, ff. de Receptis, qui arbitrium; Molina tract. 5. dist. 36. n. 9. Pirhing. loc. cit. n. 8. Reiffenstuel loc. cit. n. 4. & alii.

Arbitratores stricte & proprie sumpti, sunt illi, qui a partibus eliguntur, in ipsosque compromittitur ad perficiendum contractus, vel damna illa resarcienda, & alia negotia extrajudicialia expedienda, ut cum in contractu emptionis, venditionis, societatis, transactionis &c. a partibus eligatur tertius, ut extrajudicialiter recognoscatur, quid aequum sit, ut una pars det alteri ex causa talis contractus, vel actum pretia rerum, aut operarum, sicut desuper contractu arbitretur, & discordantes partes concordet, cuiuslibet tribuendo portionem ipsi contingentem: Vel cum a partibus tertius eligatur, ut pro injuria vel damno illato, ledens tantum det lesio, quantum ipse fuerit arbitratus. Abbas in cap. Quintavallis 23. n. 8. 16. de iurejurando. Bartolus in leg. 1. §. Et post operis novi num. 1. ff. de operis novi nuntiat. Pirhing. loc. cit. n. 9. vers. Alii. Reiffenstuel loc. cit. num. 8. ac alii. Et horum arbitratorum sententia a DD. vocatur *Arbitramentum*. Illa autem arbitratorum arbitrium, seu laudum. Pirhing. loc. cit. n. 6. Reiffenstuel loc. cit. n. 12. & alii passim.

Arbitri stricte & proprie sumpti sunt illi, qui sive ex legis praescripto, sive ex partium conventionibus assumuntur super lite, sive ad cognoscendum, & arbitrandum circa controversiam super re litigiosa exortam; arg. leg. Non distinguemus 32. §. 16. ff. de Receptis, qui arbitrium recipiunt. Reiffenstuel loc. cit. n. 8. Pirhing. loc. cit. n. 1. Sannig. tit. de Arbitris c. 1. Abbas loc. cit. Speculator tit. de Arbitris §. Arbitror num. 3. & alii.

Unde in multis differt arbiter ab arbitratoro. Primo quia arbiter assumitur super lite, & arbitrator super contractu, ut patet ex dictis num. 15. & 17. Secundo quia arbiter debet procedere iuris ordine servato arg. l. Pomponius 13. §. 2. ff. de Receptis. Non sic autem arbitrator, qui solum extrajudicialiter, atque ex aequo, & bono rem componit, ut patet ex dictis num. 15. Tertio quia arbitri sententia standum est, sive aequa sit, sive iniqua, leg. Diem proferre 27. §. 2. ff. de Receptis, qui arbitrium; Non sic vero sententia arbitratoris, quae si fuerit injusta, reducit ad arbitrium boni viri, leg. Societatem 76. §. Arbitrorum, & l. Unde 79. §. Porro pro socio. Quarto quia arbiter nequit quis esse in re sua: leg. Si de re sua 52. ff. de Receptis &c. Bene tamen potest quis esse arbitrator in propria re, seu ostensa; dummodo iuste arbitretur, alioquin recurrit ad arbitrium boni viri l. Si cum ea 3. Cod. de dotis promissione. Quinto quia sententia arbitri proprie dicti proprio nomine dicitur *arbitrium*, sive *laudum*; sententia vero arbitratoris proprie dicti dicitur *arbitramentum* ex dictis supra num. 16. & notat Abbas in citat. cap. Quintavallis 23. de iurejurando, ubi viginti duas affert differentias, quae brevitate gratia apud ipsum videnda relinquuntur.

Arbiter praesertim voluntarius, seu compromissarius in multis etiam differt a iudice. Primo quia iudex etiam invitatus dari potest, l. Munerum 18. §. Judicandi, ff. de numeribus, cum similibus ibidem a Glossa adductis. Arbitrer autem voluntarius, seu compromissarius, non nisi

si volens, cum nemo invitatus cogatur arbitrium suscipere, licet illud semel susceptum cogatur adimplere, l. Labeo 3. §. 1. ff. de recep. Secundo quia a sententia iudicis appellari potest l. 1. & l. 101. in de appellat. Non sic vero a sententia arbitri, leg. Ex sententia arbitri 1. Cod. de receptis arbitris. Tertio quia arbiter latam a se sententiam invalidam mutare, seu retractare non potest, l. Qualem 19. in fin. leg. Quia arbiter 21. ff. de recep. &c. Iudex autem ordinarius potest, l. Si Praeses 6. Cod. Quomodo & quando iudex &c. Quarto quia arbiter compromissarius laudum suum executioni mandare non potest, quia jurisdictionem nullam habet, l. Ait Praetor 5. de re iudicata, l. Cum antea 3. Cod. de receptis arbitris, seu executio demandatur iudici ordinario ipsius rei, cit. l. Cum antea, & firmiter DD. passim. Iudex vero potest, cap. Quarenti 26. de Officio Delegati, & patet ex tot. tit. ff. & Cod. de iudicis, & lib. 2. Decretal. tit. tit. de iudicis, cum similibus. Quinto quia arbiter compromissarius non potest testes cogere, nec punire contumaces, quia ex modo dictis jurisdictionem non habet, nisi in compromisso hoc actum fuerit; iudex autem potest, l. Consensio 2. §. final. ff. de iudicis cum similibus. Sexto arbiter non potest delegare arbitrium, l. Non distinguemus 32. §. 16. de Receptis &c. Iudex vero delegare potest vices suas, l. More 5. ff. de iurisdictione l. 1. de officio ejus, cui mandata est iurisdictione, & Septimo, quia ex laudo arbitri neque actio, neque exceptio rei iudicata datur, sed poene petitio, l. Si contra 2. Cod. de Receptis arbitris cum similibus, nisi expressè, vel tacite sit approbatum; l. Cum antea 5. Cod. eod. Ex sententia vero iudicis datur, ut patet tot. tit. ff. & Cod. de re iudicata, & excep. rei iudic. Octavo quia in arbitrium venit solum id, de quo actum est, ut veniret; l. Quid tamen 21. §. 6. de Receptis &c. Stricti enim juris est. In iudicium autem veniunt omnia, quae expressè ne venirent, non prohibentur, leg. Solemus 61. ff. de iudicis. Nono quia reconventio non habet locum coram arbitro compromissario, cum non possit iudicare, nisi de his tantum super quibus in ipsum extitit compromissum: Locum autem habet coram iudice, cap. Cum dilectus 6. de arbitris. Plures aliae differentiae referuntur a Durand. in specul. tit. de Arbitrio §. Dissert. Hiltrop. in process. part. 1. tit. 9. n. 19. & pluribus seq. Pirhing. loc. cit. n. 9. apud ipsos videnda.

Arbiter juris, seu necessarius, quamvis non multum differat a iudice, cum ad instar iudicis habeat jurisdictionem, & coercionem quamdam, c. Suspicionis 39. de Officio Delegati juncta Glossa ibid. verb. Ad quos omnia, possitque ab eo appellari non minus ac a iudice, c. Ab arbitris 11. de officio delegati in 6. Proprie tamen non est iudex, nec ordinarius, nec delegatus, sed ad similitudinem delegati. Sic Glossa in cit. c. Suspicionis vers. Ad quos omnia; ubi horum necessariorum arbitratorum jurisdictionem appellat *quasi ordinariam*, quae dictio quasi minuit, & indicat, quod non sit plene ordinaria, nec mere delegata, quia princeps eos non elegit, sed consensu partium, iure sic disponente, ac providente esse quasi mixtam ex utraque, licet magis videatur accedere ad delegatum, quam ad ordinariam, arg. cit. cap. Suspicionis & cit. cap. ab arbitris, utpotè quae duo capitula tractant de istis arbitris juris, seu necessariis, & tamen sunt collocata sub tit. de officio delegati, & non sub tit. de officio ordinarii: Multum enim valet argumentum a situa-

Quamvis in seculari foro raro, vel nunquam iudex ordinarius videatur suas vices delegare, adest tamen ei delegandi facultas; sed justa causa interveniente non potest substitui, pro indubitabili est tenendum. (1)

(1) L. 18. tit. 4. p. 3. Ibi: E non pueden, nin deben mandar a otro que lo oya. Fuera ende quando ellos fuesen llamados del Rey que viesesen a él, ó ellos por sí ovisen a ir a alguna parte por alguna derecha razon que non pudiesen excusar. Ca estonce bien pueden mandar a otro que lo oya, hasta que el pleyto llegue a aquel logar do se ha de dar el juicio. E dende adelante non se deben entremeter los delegados de librarlos: L. 4. tit. 9. lib. 3. Ibi: Y los Alcaldes que fueren puestos por

Nos, y por los pueblos, habiendo privilegio, ó fuero para ello, non pongan otros substitutos en su lugar, que juzguen, si no fueren dolientes, flacos, ó de guisa, que no puedan juzgar: L. 6. tit. 5. ejusd. Ibi: Y que no puedan servir por substitutos sin nuestra licencia; pero bien permitimos que con justa causa, y licencia de los oficiales del Consejo de la tal ciudad ó villa, pueda estar el Corregidor ausente noventa dias continuos, ó interpolados cada año.



tione rubricæ, ut notat Glossa in cap. Bonæ memoriæ 3. verb. Prima tertio, de confirmat. utili, & in cap. Tibi qui, 12. verb. Certo, de Rescriptis in 6. & in cap. Statutus 1. verb. Conservatores, de officio delegati in 6. & in Clemens. unic. verb. Executores, de officio delegati, Abbas in cap. ulim. num. 22. de sententia, & re judicata expressè dicens: Valet argumentum a situazione Rubricæ, ut notatur in cap. Tibi qui 12. de Rescriptis in 6. cap. Si super gratia 9. de officio delegati in 6. cap. Bonæ memoriæ 3. de confirmat. utili, Reiffenstuel loco cit. num. 18. & 21. & in proamio lib. 1. Decretal. §. 6. num. 103. 104. & 105. cum aliis ibi allegatis.

22 In arbitros compromittere generaliter loquendo possunt omnes, qui habent rerum suarum liberam administrationem; secus autem non. Colligitur ex l. Non solum 4. Cod. de præditi minor. & cap. Cum tempore 5. de arbitris, & tenet Abbas in cit. cap. Cum tempora. n. 3. Barbosa in Collect. n. 2. hoc tit. Pirhing. loc. cit. n. 100. Reiffenstuel loc. cit. num. 32. & seq. & alii passim.

23 In specie loquendo, in arbitros compromittere non potest, primo pupillus sine tutoris auctoritate, nisi fidejusserit, à quo pona peti possit, textu expresso in leg. Si pupillus 25. ff. de receptis, qui arbitrium &c. Secundo compromittere nequit minor sine sui curatoris auctoritate, leg. Labeo 3. juncta Glossa verb. Commissa, & verb. Dabitur, ff. de receptis qui &c. Tertio servus, leg. Non distinguemus 32. §. Si servus ff. eod. Quarto procurator sine speciali mandato domini, cap. Per tuas 9. de arbitris, & ibi Abbas n. 2. Glossa in cap. Qui ad agendum 4. verb. Pacisci de procuratoribus in 6. Quinto religioſus sine licentia sui superioris non potest compromittere, etiam si administrationem habeat, Hostiensis in Summa hoc tit. num. 7. Pirhing. loc. cit. num. 11. Reiffenstuel loc. cit. num. 37. Sexto Clericus sine auctoritate Ordinarii nequit facere compromissum de bonis ecclesiasticis, per quod obligetur ecclesia, aut cum præjudicio ecclesie, cujus est Rector, cap. Pervenit 3. juncta ibi Glossa final de arbitris, Reiffenstuel loc. cit. num. 37. Pirhing. loc. citato num. 11. Immo si tale compromissum esset celebratum in forma, qua alienationem indicaret, neque posset fieri etiam cum auctoritate ordinarii, per text. in Extrav. Ambitiosa, de rebus ecclies. non alienandis, & in citat. cap. Cum tempore 5. de arbitris. Quinimò ubi compromissum celebratur in forma, que alienationem inducat, neque potest fieri de rebus eccliesie ab ipsomet ordinario, seu prelatò quocumque sine solemnitatibus requisitis ad alienationem, per text. in citat. Extrav. Ambitiosa, & in cit. cap. Cum tempore, cum similibus, & concordant Doctores communiter.

24 Arbitri esse possunt generaliter loquendo omnes, qui jure non prohibentur. Communis per text. in l. Labeo 3. §. final. ff. de receptis, qui arbitrium. Quicumque enim non prohibetur expressè, per consequentiam admittitur, leg. Cum Prætor 12. ff. de judiciis, cap. Cum apud 23. de sponsalibus, cum concessum intelligatur, quod expressè non prohibetur, arg. leg. Testimonium 1. §. 1. de testibus, & leg. Mutus 43. §. 1. ff. de procuratoribus. Unde 25 arbitri esse possunt non solum illi, qui sunt integræ famæ, sed etiam infames, textu expresso in leg. Peditus 7. ff. de receptis &c. & cap. Infames 2. §. Cognitiones caus. 3. 26 q. 7. Et non solum privati, sed etiam qui in magistratu sunt, arbitri esse possunt, licet tales non possint cogi, ut arbitrium recipiant, l. Labeo 3. §. final. & leg. Nam

Magistratus 4. ff. de receptis. Item arbitri esse possunt etiam filii familias, cum isti etiam in rebus suorum genitorum arbitri esse possunt, l. Sed & filius familias 5. & leg. Quin etiam 6. ff. de receptis &c.

In specie loquendo arbitri esse non possunt, primo servi, leg. Peditus 7. ff. de receptis, &c. & cap. Infames 2. §. Si quis verò in fin. caus. 3. quest. 7. Secundo pupilli furiosi, muti, & surdi, leg. Sed etsi 9. ff. de receptis. Tertio minores 20. annis leg. Cum lege 4. ff. eod. In majorem autem 20. annis potest quidem compromitti, at si is sit minor 25. annis, & compromissum temere acceptando, atque arbitrium pronuntiando, lætas fuerit, restituitur in integrum, textu expresso in cit. leg. Cum lege. Quarto religiosi privati, nisi id sposcat suorum monasteriorum utilitas, & suorum superiorum consensus accedat. Glossa in leg. Peditus 7. §. ult. verb. Nul. Nul. sit, ff. de receptis &c. Durandus tit. de arbitris §. Sequitur num. 39. & 40. Engel. lib. 1. decretal. tit. 43. n. 6. Sannig. eod. c. 2. n. 3. Pirhing. loc. citat. n. 24. Reiff. loc. cit. n. 46. & alii; Monachi enim non possunt esse forensis judicii susceptores, cap. De presentium 20. c. Monachi 33. caus. 19. quest. 1. Quinto femina, licet summa, & atque optima opinionis sint, textu expresso in l. Sancimus 6. Cod. de receptis arbitris; sicut enim femina nequeunt fungi officio judicis textu expresso in leg. Cum Prætor 12. §. 2. ff. de judiciis, & in leg. Femina 2. ff. de regulis juris, & in cap. Infamis 1. caus. 3. q. 7. ita neque officio arbitri, cum arbitria redacta sint ad instar judiciorum, textu expresso in leg. Compromissum 1. ff. de receptis, qui arbitrium &c.

Licet autem femina ex dictis nequeant esse arbitri, seu arbitrices, id est, nequeant pronuntiare arbitrium propriè dictum, possunt tamen esse arbitratrices, id est, pronuntiare arbitramentum, sicque ratione compromissi in se facit tamquam in arbitratrices, seu amicabilem compositionem, possunt partes pro bono, & æquo componere, ut colligitur per contrarium sensum ex cap. Dilecti 4. de arbitris, ubi dicitur, quod femina ab omni summi judiciali examine separanda, ergo, secus de cognitione extrajudiciali in arbitramentum, seu amabili compositione, que sit extra judicium, & ordinem judiciorum non requirit. Sic Abbas in cit. cap. Dilecti num. 2. & in cap. Quintavallis 23. num. 1. de jurejurando, Durandus tit. de arbitris §. Potest num. 1. & seq. Reiffenstuel loc. cit. n. 43. Pirhing. loc. cit. num. 10. Molina tract. 5. disp. 39. numer. 4. & alii. Immo feminae possunt esse etiam arbitricæ, sicque proferre arbitrium, si habeant jurisdictionem de jure communi, vel secundum consuetudinem regionis, tunc enim sicut judicare, ita & arbitrari possunt, citat. cap. Dilecti 4. de arbitris, & cap. Vereor 22. caus. 8. quest. 1. Abbas in citat. cap. Dilecti 4. de arbitris, & cap. Vereor 22. caus. 8. quest. 1. Abbas in citat. cap. Dilecti num. 1. Durandus loc. cit. num. 2. Engel. loc. cit. num. 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 42. Pirhing. loc. citat. num. 17. & seqq. & alii.

Item licet ex dictis sup. n. 28. religiosi nequeant esse arbitri; possunt tamen cum consensu suorum superiorum esse Arbitratores, quia arbitramentum, seu amicabilem compositio fit extra judicium, & ordinem judiciorum non requirit. Abbas in cit. c. Quintavallis 23. n. 13. de jurejurando. Molina loc. cit. n. 5. Pirhing. loc. cit. n. 24.

Sic etiam licet nemo possit esse arbitri in re propria, cum sententiam, ac jus sibi dicere, sibi que imperare non

Quid de ordinarii judicis ecclesiastici auctoritate, in rebus alienare prohibitis per eandem extravagante, & an circa eas possit compromissum fieri, manet extensum. (1)

Quamquam arbitri esse possunt, minime verò in causa ante illos cepta; (2) in hoc enim non differunt à judicibus ordinariis: quia isti, nec etiam de negotio, cujus cognitio ad eos pertinet jure suo, arbitri eligi possunt. (3)

(1) Vid. verb. Alienare.

(2) L. 17. tit. 5. lib. 2. Otriosi ordenamos que los nuestros Oidores non sean Abogados en las dichas nuestas Audiencias, ni en otra Audiencia seglar alguna, ni en arbitramentos de causas, que puedan venir à las nuestas Audiencias, ni tomen, ni acepten arbitramento

despues de comenzado el pleyto ante ellos:--

(3) L. 9. tit. 6. lib. 3. Ibi: Y no resciban el, ni sus oficiales compromisos de ningunos pleytos, que ante ellos estuvieren pendientes, ni del que el pudiere conocer, so pena que torne lo que llevara con otro tanto.

possit, textu expresso in leg. Si de re sua 51. ff. de receptis, qui arbitrium &c. potest tamen quis in re propria esse arbitrator, leg. Veluti 77. ff. Pro socio. Molin. cit. disp. 39. num. 9. Pirhing. loc. cit. num. 24. in fine.

Ita pariter licet laicus nequeat in causis spiritualibus esse arbitri, textu expresso in cap. Contingit 8. de arbitris, potest tamen esse arbitrator, seu amicabilem compositor. Sic Fagn. in cit. cap. Contingit num. 20. plurimos alios citatis, & testans de communi, Pirhing. loc. citat. num. 23. Decius in cap. 2. de judiciis num. 4. affirmans hanc esse communem opinionem, & ab ea non recedendum, quidquid asserant aliqui in contrarium. Et ratio est, quia arbitri procedit instar judicis, servato ordine judiciali, per text. in leg. Compromissum 1. ff. de receptis, qui arbitrium, & in leg. Rem non novam 14. Cod. de judiciis, adeoque nequit laicus esse arbitri in causis spiritualibus, ne dicatur in ipsis esse iudex, quod ei expressè prohibuit in c. Decernimus 2. & cap. Quanto 3. de judiciis cum similibus. Non sicut tamen arbitrator, qui eligitur solum, ut aliquid astimet, & sine ordine judiciali dicat, & arbitretur, quid sibi videatur, & amicabilem componat, ut Instit. de empt. & vendit. §. Pretium, leg. Societatem 6. ff. Pro socio cum similibus: tum quia in cit. cap. Decernimus 2. de judiciis, & seq. non universim prohibentur laici tractare negotia ecclesiastica, cum laici possint esse procuratores in causis spiritualibus, textu expresso in cap. Non indircetè 1. de procuratoribus in 6. sed solum prohibetur tractare negotia ecclesiastica judicando, & disponendo, non autem ut nudi ministri, sicut sunt arbitratores. Undè in cit. cap. Contingit 8. de arbitris est sermo de arbitro, & non de arbitratore.

Insuper accedente auctoritate judicis ecclesiastici, laicus conjunctim cum Clerico potest esse etiam arbitri in causa spirituali, & valet laudum ab ipsis prolatum, cap. Per tuas 9. de arbitris, quia compromissum de re spirituali factum in laicum & Clericum simul sustinetur propter mixturam Clerici, ut patet in cap. Ex parte tua 10. de arbitris; nam magis dignum trahit ad se minus dignum, ut res potius valet, quam pereat, cap. Quod in dubis 3. & cap. Abbate 25. de verb. signific. Quod procedit, etiamsi unus tantum sit Clericus, & plures laici, ut patet in cit. cap. Ex parte tua. Sic Fagnan. in cit. cap. Contingit 8. de arbitris n. 8. & seq. cum pluribus ibi citatis, Covarr. cap. 24. practi. quest. num. 1. Pirhing. loco cit. num. 22. Reiffenstuel loc. cit. num. 44. & alii.

Laici possunt esse arbitri in causis civilibus Clerico-rum, seu super rebus temporalibus ipsorum, & ab ipsis Clericis, potest in laicos fieri tale compromissum etiam sine auctoritate superioris, seu judicis ecclesiastici. Sic colligitur ex cit. c. Contingit 8. desumpto argumento à sensu contrario, & ex c. Exposita verb. Compromissum. Abbas in cit. c. Dilecti 4. de arbitris n. 8. post Hostiensem, & Joan. Andream, Reiffenstuel loc. cit. n. 45. Pirhing. loc. cit. num. 22. vers. Limitatur secundo, & alii.

Compromissum tam de jure civili, quam de jure canonico potest fieri in judicem, ut in arbitratores, seu amicabilem compositorem etiam respectu causæ coram ipso agitate. Communissima omnium tum Juristarum, tum Canonistarum. An autem utroque jure possit fieri tale compromissum in judicem, non solum ut arbitratores, sed etiam ut arbitrum; variant Doctores. Aliqui enim apud Fagnan. lib. 1. decretal. in cap. ex parte 10. de Arbitris n. 20. volunt tale compromissum posse quidem fieri in judicem de jure canonico per text. in cap. Cum tempore 5. cap. Cum olim 7. cap. ex parte 10. cap. Cum à nobis 12. de Arbitris cap. Causam 8. de elect. & cap. Literas 14. de præsumptionibus. At non de jure civili per expr. text. in l. Sed etsi 9. §. 2. ff. de receptis, qui arbitrium, ubi expressè sic habetur: Si quis iudex sit, arbitrium recipere ejus rei, de qua iudex est, in re se compromitti jubere prohibetur lege Julia &c. Alii autem apud ipsum Fagnanum loc. cit. n. 21. existimant nec de jure civili, nec de jure canonico compromitti posse in judicem ordinarium tamquam arbitrum, sed solum tamquam in arbitratores, amicabilem compositorem. Alii tandem probabilius sustinent posse seu tale compromissum utroque jure fieri in judicem, sive ordinarium, sive delega-

tum non solum ut in arbitratores, sed etiam ut in arbitrum etiam respectu causæ coram ipso agitate; dummodo id fiat à partibus sponte, & non jubente dicto iudice. Sic glossa in cit. c. Cum tempore verb. Magdeburgensis, & Abbas ibi n. 5. de Arbitris, & alla glossa in c. Infames 2. §. Si quis verò in verb. Judex caus. 2. quest. 7. Joann. Tancrèdi. Vincenc. Philipp. & gloss. in c. fin. de rerum permutat. quos refert, & sequitur Joannes Andri in c. Ex parte 10. de Arbitris in gloss. 1. n. 9. & 10. Vallensis de Arbitris §. 2. n. 3. Sannig. ib. c. 2. n. 2. Reiffenstuel loc. cit. n. 47. Pirhing. loc. cit. n. 13. & est fere communis opinio Canonistarum; ut ex Abbate loc. cit. n. 5. testatur Fagnan. loc. cit. n. 22. vers. Tertia & ultima opinio. Et quod id fieri possit de jure canonico patet ex citatis iuribus supra pro prima sententia. Totà difficultas est quoad jus civile, quod videtur resistere in cit. l. Sed etsi 9. §. 2. ff. de receptis &c. Ad dicta lex intelligenda est hoc sensu, nempe quod ibi solum prohibetur, ne iudex cogat partes litigantes, ut causam in ipsum compromittant; non autem est ibi prohibitum acceptare compromissum, si sponte à partibus fiat in ipsum iudicem; & non eo jubente, & hac intelligentia desumitur ex subjunctis ibid. verbis: in re se compromitti jubere prohibetur, ubi particula in re, non disjunctive, sed copulative accipienda est, ut patet ex cit. cap. Infames 2. §. Si quis verò caus. 3. q. 7. ubi refertur integer §. Si quis iudex dicte leg. Sed etsi, & loco illius dictionis re ponitur copula, & atque ita ubi lex civilis dicit in re se compromitti, lex canonica quasi jus civile exponendo dicit & in re compromitti, adeoque dictio in re in dicto §. Si quis iudex, est accipienda copulative, nec est novum ut dictio illa re stet copulative, ut in leg. Sæpe, ff. de verborum significat. & in leg. Cum quidem, Cod. eod. & consequenter tenendum est, quod in dict. leg. Sed etsi prohibetur solum ne iudex cogat partes litigantes, ut causam in ipsum compromittant, non autem prohibetur, ne acceptet compromissum à partibus sponte factum in ipsum; tum quia lex civilis dubia, & obscura intelligenda est juxta claram, & certam legem canonice. Si enim in dubiis, & obscuris pro interpretatione legis recurritur ad consuetudinem, ut in leg. Si de interpretatione, ff. de Legibus, & in c. Cum dilectus, de consuetudine, à fortiori recurrendum est ad jus canonicum, quod est majoris auctoritatis, quam consuetudo, arg. à simili in cap. Quis nesciat 11. dist. 11. ad obsequium cum per allegatos canones supra pro prima sententia sit id clare decisum de jure canonico, tenendum est etiam de jure civili, cum non sit ponenda differentia inter jus canonicum, & jus civile, nisi ubi clare id reperitur expressum, arg. c. 1. de novi oper. nuntiati, & sint jura iuribus concordanda, cap. Cum expediat, de elect. in 6. & consequenter clara juris articuli decisio in jure canonico servanda est etiam de jure civili, per text. in cit. cap. 1. de novi operis nuntiatione, ubi expressè dicitur quod leges non dedignantur Sacros can. imitari. Sic pluribus adductis Fagn. l. c. à num. 22. ad 33. & omnes supra citati, alique plures.

Compromissum potest fieri in unum, duos vel plures Arbitros pari, vel impari numero. Communis, per text. in cap. Sane 1. in cap. Non sine 2. & cap. Innotuit 12. de Arbitris, & l. Item si unus 17. §. Si in duos, ff. de receptis, qui arbitrium, &c. Consultus tamen est, ut impari numero assumantur, ut si non omnes in iudicando, seu arbitrando consentiant, seu convenient, saltem major pars reperiat, cujus arbitrio stetur, & sic causa concludatur; l. Item si unus 17. §. 6. ff. de receptis, qui arbitrium receperunt, cap. Sane 1. de Arbitris. Unde quando plures Arbitri impari numero electi non concordant, stari debet arbitrio, seu sententiæ majoris partis concordantis; cit. l. Item si unus 17. §. 6. l. Sicut tribus 18. ff. de receptis &c. cap. Sane 1. de Arbitris & cap. Si ex tribus 1. eod. in 6.

Si tres v. g. sint electi arbitri, & omnes inter se discordent in taxanda aliqua quantitate, ut si unus taxet in quindecim, alter in decem, & tertius in quinque, stari debet minori summæ, seu quantitati, quia in hanc minorem summam omnes consenserunt textu expresso in l. Diem 27. 6. ff. de receptis &c. & in cap. Si ex tribus 1. de



- 41 de Arbitris in 6. In summa enim majori continetur & minor; l. In eo; quod plus 100. ff. de Reg. juris, adeoque qui taxavit in 15. aut 10. censetur etiam taxasse in quinque, & sic isti minorum summam standum est, l. 17. r. 22. p. 3.
- 42 Si duo eligantur arbitri ea conditione ut si inter se discordent, eligant aliquem tertium innotinatum, tunc tale compromissum, & secutum inde laudum non valet, textu expresso in cit. l. Item si unus 17. §. 5. ff. de receptis Et. & in cap. Innotuit 12. de Arbitris, addita ratione, quia arbitri illi semel discordantes possent etiam discordare in assumendo tertio. Immobile compromissum, & inde secutum laudum erit invalidum, etiamsi duo illi arbitri concorditer eligant dictum tertium innotinatum. Colligitur clare ex cit. cap. Innotuit 12. de Arbitris, ubi licet duo arbitri habentes potestatem associandi sibi tertium innotinatum concorditer istum elegerint, adhuc tamen compromissum & laudum inde secutum declaratum fuit invalidum. Et ratio est, quia tale compromissum a principio jam invalidum, per citat. l. Item si unus 17. §. 5. ff. de receptis Et. Quod autem ab initio non valet, neque postea convalescit, l. Quod ab initio vitiosum est 10. ff. de Reg. Juris, c. Non firmatur 18. de Reg. Juris in 6. Sic Glossa final. in c. cap. Innotuit, & Abbas ibid. num. 8. ubi addit contrariam opinionem Glossæ in d. l. Item si unus; & paucorum aliorum indubitanter non esse verum, Bartol. in d. l. Item si unus §. Si in duos, Specul. tit. de Arbitris §. fin. n. 20. vers. Sed pone in eligendo, Pirhing. l. cit. n. 43. vers. Notandum sexto, Reiffenstuel. l. cit. n. 55. & alii.
- 43 Si autem eligantur duo arbitri ea conditione, ut si inter se discordent, sibi associant tertium nominatum & determinatum, puta Franciscum, tunc tale compromissum, & laudum inde secutum erit validum, quia tum in assumendo tertium dissentire non possunt, textu expresso in cit. l. Item si unus 17. §. 5. ff. de receptis Et. Pirhing. loc. cit. num. 42. vers. Notandum quarto; Reiffenst. l. c. n. 54. & alii passim.
- 45 Arbitrator de his tantum ferre potest arbitrium, de quibus in ipsum factum esse compromissum; tota enim sua potestas dependet ex compromisso, nec illius fines potest excedere. Communis textu expresso in l. Non distinguemus 32. §. 15. & 21. ff. de receptis Et. & in cap. Cum dilectus 6. de Arbitr.
- 46 Potest tamen arbiter cognoscere, & arbitrari de illis, quæ ita sunt coherentes, & contexta cum causa principali, ut hæc sine illis commode experiri non possit, licet ipsa non sint in compromisso expressa. Sic Glossa in cit. cap. Cum dilectus vers. Nisi de his; & Abbas ib. n. 10. Glossa in cit. l. Non distinguemus 32. §. 15. vers. Laudum. Pirhing. loc. cit. num. 49. vers. Excipienda. Reiffenstuel. l. c. num. 64. testans de communi, & desumitur ex cap. Præterea 5. & cap. Prudentiam 21. §. Sexta, de officio delegati, ubi commissa causa principali, etiam accessorium committi videtur, licet non sit specialiter expressum; Accessorium enim naturam sequi congruit principali, cap. Accessorium 42. de Regul. Juris in 6. juncta Glossa ibid. verb. Accessorium.
- 47 Item potest arbiter arbitrari, seu pronunciare super fructibus perceptis ex re de qua in se factum est compromissum. Glossa in cit. leg. Non distinguemus 32. §. 15. vers. Cautum, hoc probans inter alia ex leg. Ad rem mobilem, & leg. Ad Legatum, ff. de Procuratoribus, Pirhing. loc. cit. n. 49. vers. Excipienda, Reiffenstuel. loc. cit. num. 67. & alii. Tales enim fructus veniunt accessorie ad causam principalem commissam, unde & hic locum habent jura num. anteced. adducta. Item potest arbiter statuere, seu assignare diem solutioni faciendæ. l. Quid tamen 21. §. Solutioni, & l. Celsus 23. ff. de receptis Et. Glossa in cit. cap. Cum dilectus verb. Nisi de his, Reiffenstuel. loc. cit. num. 65. Pirhing. l. cit. num. 49. vers. Excipienda.
- 49 Quamvis arbiter compromissarius, seu voluntarius non possit punire partem contumacem in parendo, nisi in compromisso id specialiter cautum sit, ut dictum est supra num. 10. potest tamen etiam condemnare ad præstantas expensas, quas ob suam contumaciam pars altera fecit; per hoc enim non dicitur, quid fieri extra, vel ul-

tra, sed juxta compromissum, cum id spectet ad interesse alterius partis compromittentis, Joan. Andreas in cit. cap. Cum dilectus n. 6. Abbas ibid. n. 12. id probans ex dicta leg. Non distinguemus 32. §. 5. ff. de receptis Et. Coram arbitro compromissario non potest fieri re-conventio textu expresso in cit. cap. Cum dilectus 6. de Arbitris; Abbas ibid. num. 7. Pirhing. loc. cit. num. 50. Reiffenstuel. loc. cit. num. 60. & alii passim. Nec etiam talis re-conventio potest fieri coram arbitro, seu necessario, quando iste electus est, non ad totam causam, sed solum ad certum causæ articulum, v. g. An iudex sit suspectus? ut in cap. Suspicionis 39. de officio delegati. Talis enim articulus sine alia re-conventione expediri debet, ne progressus causæ principalis retardetur, cap. Legitima 2. de appellat. in 6. Abbas l. cit. Reiffenstuel. l. c. n. 61. & alii.

Potest autem dicta re-conventio fieri coram arbitro § 2 juris, seu necessario, si sit electus ad totam causam, ut si Clericus contra Episcopum solum litem moveat cap. Si Clericus 46. caus. 11. q. 1. Arbitrator enim juris, seu necessarius electus ad totam causam habet jurisdictionem ad instar iudicis delegati: cap. Suspicionis 39. de officio delegati juncta Glossa ibid. verb. Ad quos omnia. Sic Abbas in cit. cap. Cum dilectus n. 7. Reiffenstuel. l. c. n. 62. Pirhing. loc. cit. n. 51. testans de communi.

Arbiter tenetur per se ipsum laudum, seu sententiam ferre, nec potest ad id alium delegare, nisi hoc sit ei expressè commissum, textu expresso in l. Non distinguemus 32. §. 16. & l. In compromissis 45. ff. de receptis Et. Et ratio est, quia censetur compromissum esse factum in talem certam personam ex speciali fiducia, seu confidentia erga ipsam; Glossa in cit. cap. Cum dilectus 6. de Arbitris, verb. Nisi de his, Pirhing. loc. cit. n. 51. vers. Inferitur secundo, Reiffenst. loc. cit. n. 62. & alii passim.

Arbiter laudum, seu sententiam pronuntiare debet in præsentia partium compromittentium, nisi in compromisso sit ei specialiter concessum, ut parte utraque vel altera earum absente, causam definire possit, textu expresso in l. Diem 27. §. 4. ff. de receptis Et. & colligitur ex cap. Ex parte 10. de Arbitris, ibi: In tua præsentia partibus constituitur. Unde arbitri partes citare potest, ac debet ut ad certum diem, & locum, in quo arbitrium, seu laudum pronuntiandum est, compareant. Colligitur ex cit. cap. Ex parte, & l. Quid tamen 21. §. 8. ff. de receptis Et. Et quidem potest arbiter citare partes per nuntium, vel per epistolam, textu expresso in l. Sed & interpellatur 49. §. 1. ff. de receptis Et. ibi: Arbitrator adesse litigatores, vel per nuntium, vel per epistolam jubere potest. Sic Glossa in cit. cap. Cum dilectus verb. Nisi de his, Molina tract. 5. disp. 43. n. 1. Pirhing. loc. cit. n. 52. & alii.

In arbitros potest fieri compromissum super qualibet causa, seu re, de qua in iure non sit expressè prohibito. Quod enim non prohibetur expressè, per consequentiam admittitur. l. Cum Prætor 12. ff. de iudiciis, & cap. Cum apud 23. juncta Glossa ibid. verb. Prohibitorium, de Sponsalibus. Sic Hostiensis in summa de Arbitris n. 5. Speculator de Arbitris §. Restat. num. 3. Molina tract. 5. de iustitia disc. 40. in princ. Reiffenstuel. l. c. n. 69. Pirhing. l. cit. n. 24. & alii communiter.

In iure autem prohibentur committi in arbitros causæ illæ, quæ ob sui gravitatem, præiudicii periculum à maioribus iudicibus sunt expediendæ. Sic colligitur ex leg. Non distinguemus 32. §. 6. & 7. ff. de receptis Et. ubi plures assignantur, quæ in arbitros committi non possunt, ex cap. Causa 9. de in integrum restitut. ubi variè specificantur, addita ratione quod in ipsis, cum majores iudices exigant, arbiter nequit assumi.

Primo igitur non potest fieri compromissum in arbitros super causa criminali criminaliter intentata, textu expresso in cit. cap. Cum causa 6. de restit. in integrum, cit. leg. Non distinguemus 32. §. 6. de receptis. Talis enim criminalis causa exigit majores iudices veram jurisdictionem habentes, quorum publica auctoritate sunt criminalis condigne puniendæ, & non privatorum arbitrorum mittenda, Pirhing. loc. cit. num. 25. vers. Tertio, Reiffenstuel. loc. cit. num. 75. Zoelius tit. de Arbitris n. 19. &

- & alii passim. Potest tamen assumi arbiter in causa criminali, quando est solum civiliter intentata, ut patet ex cap. Veniens 16. & cap. Quintavall. 23. de iurejurando. Sic Glossa in cit. l. Non distinguemus §. 6. verb. Famoso delicto, Abbas in cit. c. Causa num. 4. Molina cit. disp. 40. num. Pirhing. & Reiffenstuel. loc. cit.
- Secundo nequit fieri compromissum in arbitros super causa liberali: textu expresso in cit. c. Causa, & cit. l. Non distinguemus §. 7. ubi hæc additur ratio, quia favor libertatis est, ut majores iudices habere debet. Causæ enim liberales, in quibus agitur de hominis libertate, ingenuitate, vel libertate, sunt de majoribus, adeoque majores exigunt iudices, nec sufficiunt arbitri, quamvis tamen isti incidenter de causa status cognoscere possint, juxta l. Cum proponas 6. juncta gloss. fin. Cod. de rebus creditis, Molina l. c. n. 2. Pirhing. l. c. vers. Secundo, & alii.
- Tertio nequit fieri compromissum in arbitros super causa matrimoniali carnali. Communis per text. in cap. ultim. de transact. & cit. c. Causa juncta Glossa ibid. verb. In matrimoniali; spectato enim jure communi solus Episcopus de his cognoscit, ut patet ex c. Accedentibus 12. de excoisibus Prætor & statut. Concil. Trid. sess. 24. c. 20. de reform. potest tamen id fieri super causa matrimonii spiritualis, ut est causa electionis, ut patet ex c. Ex parte 10. de Arbitris c. Cum inter 21. de election. c. Nisi essent 22. de præbendis. Fagan. in cit. c. Ex parte n. 3. 4. & 5. ubi plures alios allegat, Pirhing. l. c. vers. Primo. Molina l. c. n. 4. Abbas l. c. n. 4. & alii.
- Quarto nequit fieri compromissum in arbitros super causa restitutionis in integrum, nisi coram eis mota sit incidenter: talis enim causa solum coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel eorum delegatis tractari, & finire potest, textu expresso in cit. c. Causa 9. de in integrum restitutione juncta Glossa ibid. verb. Incidenter, ubi id probat in pluribus, Abbas ibid. n. 4. Reiffenstuel. l. c. n. 71. testans de communi.
- Quinto non potest fieri compromissum in arbitros de iis, quæ vergunt in præiudicium ecclesiæ. Unde Prælati, & Clerici exempti, & immediatè subjecti Sedi Apostolicæ nequeunt compromittere sine consensu Summi Pontificis in præiudicium exemptionis, quia id vertet potius in præiudicium Sedis Apostolicæ, tollendo ejus jus in exempto sibi reservatum, quam ipsorum exemptorum; c. Cum tempore 5. §. final. de Arbitris. Nec exempti possunt renuntiare juri exemptionis, c. Si diligenti 12. de Foro compet. l. Jus publicum 38. ff. de pactis, adeoque neque supra ipsum exemptionis jus facere compromissum, quia ex eo posset fieri arbitrium contra exemptionem; Pirhing. l. cit. n. 26. & seq. Reiffenstuel. l. c. n. 78. Engel. l. c. n. 4. & alii passim.
- Sexto nequit fieri compromissum in arbitros super causis jam per legitimam sententiam decisis, jamque in rem judicatam transactis; c. Exposita 12. de Arbitris, Glossa ibid. verb. Cum parte altera, Innocentius, & Joan. Andr. ib. n. 3. Pirhing. loc. cit. n. 30. & 31. Reiffenstuel. l. c. n. 79. & alii passim. Cum enim compromissum æquiparetur transactioni, c. Per tuas 9. de Arbitris, & transactio, sive compositio fieri debeat de re dubia, & lite incerta l. 1. ff. de transactionibus, sequitur, quod non possit in arbitros compromitti super causis per certam & indubitam sententiam decisis, & jam in rem judicatam transactis, & sic jam redditus claris, certis, ac indubiis.
- Septimo nequit fieri compromissum in arbitros super omnibus causis majoribus iudicibus reservatis. Communis per text. in cit. cap. Causa 9. de in integrum restituti-

one; ibi: Cum majores iudices exigant, arbiter nequit assumi, & cit. l. Non distinguemus 32. §. 6. & 7. ff. de receptis, qui arbitrium Et.

Quoad vim, seu obligationem, aut effectum commissi in arbitros, & laudi per ipsos pronuntiatum, tenendum est, quod quando compromissum factum est simpliciter, nulla adjecta pœna, & laudum nondum à partibus fuit receptum, nec expressè, id est, subscriptione, seu verbis, quod non despicat arbitrum factum, nec tacite, id est, taciturnitate decem dierum illud roborando, quod vocant homologari per text. in l. Cum antea 5. Cod. de receptis Arbitris: tunc ex eo datur actio ad interesse contra non stantem compromisso, seu laudo lato, ut solvat alteri parti quanti ejus interest compromissum, aut laudum servatum esse, colligitur ex c. Per tuas, verb. Ratum haberi, & Abbas ib. n. 10. Gloss. fin. in cit. l. Diem proferre, Pirhing. l. c. n. 61. Reiffenst. l. c. n. 83. & alii. Et quamvis ex pacto nudo, ut hic intervenit, videatur non dari actio per jus civile in leg. Juris gentium 7. §. 5. ff. de pactis; tamen de jure canonico etiam ex pacto nudo oritur actio, id est, jus exigendi in iudicio illud, de quo inter paciscentes conventum fuit, ut contra paucos tenent Canonistæ committunt, teste Reiffenstuel. l. 1. Decretal. tit. 35. n. 31. per text. in c. Antigonus 1. de pactis juncta Glossa final. ib. & c. Qualiter 3. eod. Et insuper secundum hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo, prout tradunt uno ore Interpretes, teste Christophor. Clingensperger lib. 3. Instit. tit. 14. q. 10. & Reiffenstuel. loc. cit. num. 37. idque merito, ut subjungit ibidem, ne forum externum discordet ab interno.

Quando laudum per arbitros pronuntiatum vi compromissi in ipsos absolute & sine adjectione pœnæ facti à partibus expressè receptum fuit, aut saltem per silentium decem dierum homologatum, seu tacite approbatum; tunc istud indistinctè observandum, & executioni mandandum est, ac datur ex eo exceptio, & actio in factum ad petendam coram iudice ordinario executionem laudi, l. Ne in Arbitris 4. & l. Cum antea 5. Cod. de receptis Arbitris, c. Per tuas 9. de Arbitris, ubi Glossa verb. Ratum haberi, & Abbas num. 8. Pirhing. loc. cit. n. 62. Reiffenstuel. loc. cit. n. 86. & alii passim.

Si in compromisso appositæ sit pœna, tunc sub eadem pœna standum est laudo per arbitros pronuntiatum, & contra partem laudo stare recusantem datur actio ad ipsam compellendam in iudicio, ut dictam pœnam solvat. Communis per text. in c. Per tuas 9. de Arbitris, & in l. Ex compromisso 2. ac l. Diem proferre 27. §. ff. 2. de receptis Et. & concordat l. Ex sententia 1. Cod. de receptis Arbitris, addita hac ratione, quia ob hoc invicem pœna promittitur, ut metu ejus à placitis non recedatur.

Dicta autem pœna soluta, pars nolens stare laudo non potest compelli ad illi standum, seu ad illud executioni mandandum. Authent. Decernit jus, Cod. de receptis Arb. ubi expressè dicitur, quod præstita pœna liceat à iudicatis (id est à sententia arbitri) recedere; & concordat l. Ex sententia 1. Cod. eod. & concordat l. Ex compromisso 2. ff. de receptis Et. Quando enim compromisso adjectur pœna, tunc compromissum evadit conditionatum, seu alternativum, ut videlicet vel stetur compromisso, vel solvatur pœna, prout condemnatus elegerit, ideò enim pœna adjectur, & invicem promittitur, ut metu ejus à placitis non recedatur, ut expressè cavetur in cit. l. Ex sententia. Sic Gloss. verb. Metu, Abbas in cit. c. Per tuas n. 15. Engel l. 1. decret. tit. 43. numer. 15. Reiffenstuel. loc. cit. n. 77. & alii passim.

Excipie tamen primo: Nisi in dicto compromisso pœ-

Causa per legitimam sententiam jam discussa, in rem judicatam sit, vel non transacta, valet tam in arbitros, quam in arbitratores compromitti. (1)

(1) L. 4. tit. 21. lib. 4. Ibi: Y algunas veces teniendo de la parte sentenciada 6 sentencias en su favor, pasadas en cosa juzgada, sabiendolo, acuerdan de poner, y comprometer los tales pleytos y contiendas en manos de Jueces arbitros juris para que determinen conforme a dere-

cho, 6 de Jueces amigos arbitros, 6 arbitradores, y prometen de estar por la sentencia que dieren: mandamos, que luego que la tal sentencia arbitraria fuere dada de que la parte pidiere execucion, se executen:



nali adjecta sit clausula: *Rato manente compromisso*, & arbitrio seu laudo super eo loco, id est, ut non obstante solutione pœne adhuc sententia arbitrorum rata maneat. Tunc enim contraveniens non solum pœnam solvere, sed etiam sententiam arbitrorum exequi tenetur, quia tunc in effectu duplex compromissum intervenire censetur, unum pœnale, seu obligans ad solutionem pœne, si non servetur, & alterum purum, seu simplex, vi cuius non obstante solutione pœne agi potest in iudicio ad ipsum compellendum pro observantia, & executione laudi; *Gloss. final. in c. Dilecti. 4. de Arbitris, & ibi Abbas n. 17. Mantanta in speculo aureo parti. 6. §. de n. appell. n. 263. Gail. l. 1. obs. 150. n. 14. Card. Tuschus lit. C. concl. 300. n. 2. Pirhing. l. c. n. 69. Reiffenstuel. l. c. n. 91. & alii passim, arg. l. penult. ff. de trans. & l. Cum proponis 57. Cod. eod. ubi habetur, quod si transactioni adjecta sit pœna cum clausula: *Rato manente pacto*, transgressor & ad pœnam compelli potest; & ad transactionem observandam.*

69. *Excipie secundo, nisi compromisso præter panam transgressori statutam adjectum sit iuramentum de stando arbitrio, seu laudo, quia tunc transgressor potest compelli, & ad solvendam pœnam, & ad observandam, seu exequendam sententiam arbitri, seu arbitrorum ratione appositi iuramenti, quod omnino servari debet, cum non vergat in æterne salutis dependium, nec redundet in alterius detrimentum, e. Quamvis 2. de pactis in 6. cum similibus. Glossa in c. Non sine 2. verb. Sacramentum, & Abbas ibi. n. 8. de Arbitris, Molina tract. 5. disp. 35. n. 22. Pirhing. loc. cit. n. 70. Reiffenstuel loc. cit. n. 86. & alii; tum quia iuramentum appositum pacto, seu compromisso pœnali habet vim clausula: *Rato nihilominus manente pacto seu compromisso*, ut post Baldum notat Abbas in c. Per tuas 9. n. 14. de Arbitris: Card. Tuschus lit. C. concl. 300. n. 4. Barbo. clausul. n. 3. & alii.*

70. Si nullo interveniente legitimo impedimento, solutio non fiat intra tempus ab arbitro præfixum; tunc pœna committitur, quamvis post lapsum dictum tempus solutio offeratur, quia semper verificatur quod intra præfixum tempus solutio facta non fuerit. *Communis*, textu expresso in l. Celsus ait 23. ff. de receptis, &c. Quod si ob aliquod legitimum impedimentum, seu iustam causam intra præfixum tempus non sit facta solutio, tunc pœna non committitur; dummodo postea condemnatus quam primum poterit, solvat. *Communis*, textu expresso in cit. leg. Celsus ait §. 1. Item pœna non committitur, si pars altera post lapsum præfixum tempus solutionem oblatam accipiat, quia sponte illam solutionem acceptando censetur cessisse juri suo. *Communis*, textu expresso in cit. l. Celsus ait §. 3.

73. Si pro solutione facienda non fuerit ab arbitro præfixum certum tempus, tunc facienda est post modicum tempus arbitrio boni viri, seu iudicis taxandum. *Communis*, textu expresso in l. Quid tamen 21. §. 12. ff. de receptis, &c. & concordat text. in leg. Quod dicimus 105. ff. de solutionibus, ibi: *Debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est, nec enim cum sacco adire debet.* Et tale temperamentum, sive modicum tempus in actione reali censetur esse spatium decem dierum, ut cavetur in l. Promissor Stichus 31. §. Si sine die, ff. de constituta pecunia; ibi: *Sed modicum tempus statuendum est non minus decem dierum, ut ex alio celebretur.* In actione autem personali spatium 4. mensium; l. Eos, qui 2. & l. Sancimus 3. Cod. de usuris rei judicate, cap. Quærent. 26. juncta Glossa ibid. verb. Quadrimestre, de officio Delegati.

74. Contra iniquum laudum, seu injustam sententiam arbitri tria præsentim remedia competunt. Primo exceptio doli, si compromittens conventus actione ex stipulatu ad pœnam præmissam solvendam apponat exceptionem doli mali, quod nempe altera pars arbitrum pecunia corrupevit, seu si adversarium callide circumvenit, & huiusmodi; leg. Ita demum 31. ff. de receptis, &c. Vel quod arbitri effectus sit suus inimicus, leg. Non distinguemus 32. §. 14. ff. eod. Vel quod per sortes, aut per gratiam arbitratum sit; leg. Arbitrorum 3. Cod. de receptis arbitris. Secundo si laudum contineat manifestam, & evidentem iniquitatem potest officium iudicis implorari, ac postu-

lari, ut illud ad justitiam reducatur secundum boni, ac prudentis viri iudicium, etiam si compromissum fuerit juramento confirmatum, quia regula est compromittentium in aliquem mens est, ut intendant se obligare ad standum ejus arbitrio, si iustum, & æquum sit, non verò si immodice aut inique arbitratus fuerit, textu expresso in leg. Si libertus 30. ff. de operis libertorum, ibi: *Si libertus ita juraverit dare se quot operas patronus velit, non aliter ratum foret arbitrium patroni, quam si æquum arbitratus sit. Et fere ea mens est personam arbitri sustinentium, ut quia sperent eum recte arbitraturum id faciunt, non quia vel immodice obligari velint.* Nisi expressè in eo compromisso conventum fuerit, ut arbitrium qualecumque fuerit, sive æquum sive iniquum servetur, aut ex circumstantiis constituerit, id partes suo in compromisso intendisse, quia tunc locum haberet leg. Diem proferre 27. §. 2. ff. de receptis, &c. ibi: *Stari autem debet sententia arbitri, quam de re dixerit, sive iniqua sit & xibi impetus, qui compromisit; & hoc colligitur ex l. Societatem 76. vers. Arbitrorum ff. Pro socio; ibi: *Unum ejusmodi (arbitrium) ut sive æquum, sive iniquum, parere debeamus, quod observatur cum ex compromisso ad arbitrium itum est.* Tertio si compromittens per laudum ab arbitro pronuntiatum sit læsus ultra dimidium justipretii, potest intentare remedium legis Rem majoris pretii 2. Cod. de rescindenda venditione. Sic plurius adductis, & citatis Pirhing. l. cit. num. 79. & Reiffenst. l. c. d. n. 76. ad 99. aliique plures.*

Compromissum, & arbitrorum officium, seu potestas finitur multis modis. Et primo finitur per sententiam definitivam super tota causa compromissa prolata; *Communis* per text. in leg. Qualem 19. ff. de receptis, &c. juncta gloss. ibid. verb. A tota. Hinc semel si lata sententia arbitri nihil in ea addere, vel minuere, nec si in ea erraverit, eam mutare, aut corrigere potest, cum postquam super tota causa definitivè pronuntiarit, demandando, vel absolvendo, totum suum expleverit officium, & arbitri esse desierit; *Communis*, textu expresso in cit. leg. Qualem 19. §. 2. & l. qui arbitri 20. ff. de receptis, &c. Immo semel si definitivè lata super tota causa 77 sententia, nec potest dictam suam sententiam exequi, quia cum solum censetur. electus ad pronuntiandum, seu sententiandum, pronuntiatio facta, seu lata sententia, extinguitur omnis ejus potestas, & executio dicte sententia fieri debet à iudice ordinario rei; leg. Cum antea 4. Cod. de receptis arbitris, cap. Si quis 4. de foro competenti. Vide dicta supra num. 19.

Finit autem notanter dictum in conclusione super tota causa, quia si compromissum contineat plures contrarios articulos, & ita factum sit, ut arbitri de omnibus simul pronuntiet, seu sententiet, & ipse de uno solum sententiam dixerit, & nondum de aliis, poterit ipsam mutare, cum non valeat, nec habeatur pro vera sententia, ex quo non sit servata forma mandata compromissi; si autem ita factum sit compromissum, ut de singulis separatim possit pronuntiare, cum sic censeantur plura esse compromissa, tunc pronuntiata sententia super uno articulo, non potest amplius ipsam mutare, quia quantum ad illum articulum desit esse arbitri, licet adhuc arbitri perseveret quoad alios articulos, de quibus nondum pronuntiarit, seu sententiarit. Sic textus expressus in l. Quid tamen in princ. 21. ff. de receptis, &c. & tenent Pirhing. loc. cit. n. 84. loc. cit. n. 102. & alii passim.

Secundo finitur compromissum, & potestas, seu officium arbitrorum, per lapsum termini, seu temporis, aut diei in compromisso præfixi, & expressi, leg. Quid tamen 21. §. 5. l. Non distinguemus 32. §. 3. ff. de receptis, &c. Non finiret tamen compromissum, & potestas arbitrorum, si partes tempus præfixum prorogarent, vel in ipso compromisso arbitris facultatem concederent tempus prorogandi, dato quod impedimentum sententiam, seu laudum pronuntiandi interveniat cit. leg. Non distinguemus 32. §. 11. & 21. & l. Arbitri 33. ff. de receptis, &c. Tertio finitur compromissum, & potestas arbitrorum recusatione ipsorum arbitrorum suspectorum; *Communis* per text. in l. Sed si in servum 9. §. 5. & in l. Non distinguemus 32. §. 14. ff. de receptis, &c.

Quar-

81. Quarto finitur compromissum, & potestas arbitrorum acceptilatione; citat. leg. Non distinguemus 32. §. 3. de receptis, &c. ibi: *acceptilatione*, ut si uni compromittentium acceptilata sit pœna, non cogitur arbitri laudum proferre, sed compromissum expirat, leg. Pomponius 13. in princip. ff. de receptis, &c. Tali enim compromisso statum solum tempus pœne, quæ si est acceptilata uni, videtur & alteri compromittentium acceptilata. *Gloss. in citat. leg. Pomponius, verb. Alteri, Pirhing. loc. cit. num. 95. Reiffenst. loc. cit. num. 2009. & alii passim.*

82. Quinto finitur compromissum, & potestas arbitrorum iudicio; cit. leg. Non distinguemus, §. 4. ibi: *iudicio*, ut si unus compromittentium ab arbitris recedat, & coram iudice ordinario causam; de qua erat compromissum in iudicium deducat: tunc enim quavis pars recedens pœnam compromisso adjectam incurrat, tamen causa non amplius coram arbitris, sed coram eodem ordinario iudice agitata est; *communis* textu expresso, in leg. Si quis rem 30. ff. de receptis, &c.

83. Sexto finitur compromissum, & potestas arbitrorum pacto, seu transactione, citat. leg. Non distinguemus, §. 3. ibi: *Pacto*, ut quando inter partes compromittentes super causa compromissa postea transigitur, citat. leg. Non distinguemus, §. 6. de receptis, &c. seu quando partes concorditer à compromisso recedunt. *Omnia enim res per quasunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, textu expresso, in cap. Omnis rei 1. de regul. juris.*

84. Septimo finitur compromissum, & potestas arbitrorum interitu rei, de qua erat ipsam compromissum, & erat laudum pronuntiandum. Nisi tamen in tali casu aliquod litigantium interit, videlicet propter fructus, & partus ipsius rei; quia tunc non obstante interitu rei principalis, adhuc de his arbitri laudum proferre possent; *communis* per text. in citat. leg. Non distinguemus 32. §. 5. ff. de receptis, &c.

85. Octavo finitur compromissum, & potestas arbitrorum morte utriusque, seu etiam unius tantum compromittentium nisi secus, in compromisso fuerit expressum; cap. Ex part. 10. de arbitris, & leg. Diem proferre 27. §. 1. ff. de receptis, &c. Compromissum enim non transit ad hæredes, nisi id fuerit expressum, ut dicitur in cit. leg. Diem proferre, §. 1. ibi: *Si hæredis mentio, vel ceterorum facta in compromisso non fuerit, morte solvetur compromissum.* Reiffenst. loc. cit. num. 104. Pirhing. loc. cit. num. 88. & alii passim.

86. Nono finitur compromissum, & potestas arbitrorum morte eorumdem arbitrorum. *Communis* per text. in cit. leg. Non distinguemus, §. 3. ibi: *Morte, & cap. Uno delegatorum 42. de officio delegati.*

87. Decimo finitur compromissum, & potestas arbitrorum etiam morte unius solius ex ipsis, si plures sint, nisi secus in compromisso sit expressum, scilicet ut uno eorum defuncto, vel impedito, alii procedere adhuc possint; *Communis* textu expresso in cit. cap. Uno delegatorum, 42. de officio delegati: ibi: *Uno delegatorum, 42. de officio delegati: ibi: Uno delegatorum, 42. de officio delegati, eorum officium expirat: Nisi aliud in delegatione, aut compromisso fuerit expressum.* Et ratio est, quia nisi secus expressum sit, ita in plures arbitros censetur factum compromissum, ut omnes iudicent, arg. l. Duo 39. ff. de re iudicata, ibi: *Duo ex tribus iudicibus, uno absente, iudicare non possunt, quippe omnes iudicare iussi sunt; & concordat text. in l. Si rarus 17. §. 12. ff. de receptis, &c. ibi: *Si plures sunt qui arbitrium receperunt, nemo unus cogendus erit sententiam dicere, sed aut omnes, aut nullus, & ibid. §. 7. ibi: *Si in tres fuerit compromissum, sufficere quidem duorum consensum, si presens fuerit & tertius; alioquin***

Arbitri juris cum usque ad sententiam definitivam proferendam, juris ordine servato, & à legibus præscriptis valeant procedere; (1) fundamentum, in quo sustineri possit hæc doctrina, difficilè comprehenditur.

(1) L. 23. tit. 4. p. 3. Ibi: *E estonce decimos, que tales aventidores como estos desque rescibieren, & otorgan de librarlos asi, que deben andar adelante por el pleyto, tambien como si fuesen jueces ordinarios, faciendolos comenzar el pleyto ante si por demanda, & por*

absente eo, licet duo consentiant, arbitrium non valere, quia in plures fuit compromissum, & potuit presentia ejus trahere eos in ejus sententiam, & in l. Sicuti tribus 18. & in l. Distinguemus 32. §. 13. ff. eod. cum similibus.

De variis arbitrorum generibus, tum de differentiis arbitros inter & arbitratore consule, si lubet, Gonzal. in cap. 1. num. 7. & seq. de arbitris, Bohemer. in decretal. lib. 1. tit. 43. §. 1. Voet. in Comment. ad Pandect. lib. 4. tit. 8. n. 2.

Quando quis electus in arbitratorem, & non in arbitrum dicitur, expendit Rota in regien. pensionis super executioni laudi 21. Junii 1748. §. 7. & in confirmatoria 30. Junii 1749. §. 5. & seq. cor. bon. mem. Vi-ccom.

Quod scribit Auctor num. 28. religiosos privatos nequire eligi in arbitros, id in fratribus minoribus locum dumtaxat habet; nam quod attinet ad simplices etiam monachos, il tum in arbitros, tum in arbitratore eligi possunt. Vide mox citatam regien. pensionis super executione laudi locis laudatis.

Sententiam Auctoris num. 37. quod scilicet etiam de iure civili iudex eligi à partibus volentibus in arbitrum possit, tuetur Stryckius in usu modern. Pandect. lib. 4. tit. 8. §. 4. putat verò legem 9. §. 2. ff. de recept. arbitri. quæ videtur ob stare, intelligendam esse de iudice pædaneo, quippe qui non libere, sed ad formulam præscriptam adstricta potestate gaudebat.

Sententiam ab arbitro prolata hoc nomine impugnari haud posse, quod is non processit præmissis necessariis probationibus, firmavit Rota cor. Rati. dec. 102. ea reddita ratione, quod potuit se extrajudicialiter informare.

De iure civili sententia ab omnibus arbitris præsentibus proferri debet, ita ut vel uno eorum absente prolata nullitatis vitio laboret; nisi aliud actum sit, l. Non distinguemus 32. §. Cum in plures 13. ff. de receptis, & arbitri. At de iure canonico si legitime omnes citati fuerint, nec justum allegaverint impedimentum, quominus adessent, licet duobus præsentibus, absente tertio perinde ad negotii commissi examen accedere, illudque sua dirimere sententia, ac si tertius legitime vocatus præsens sit, cap. ultim. de arbitri. in 6. l. Id summa ratione statutum fuit à iure canonico. Uti enim recte observavit Voet. in comment. ad Pandect. lib. 4. tit. 7. num. 16. absoluta illa necessitas præsentia omnium arbitrorum non raro malitiosi atque calumniosi posset ansam præbere, dum aliquando inus aut gratia, aut odio, aut sordibus corruptus sui copiam non faceret, & ita questiones malitiosa absentia diutius protelarentur, ac manerent indecisæ.

Si tres fuerint electi arbitri, quorum unus postea inhabilis reperitus sit, an sententia à duobus prolata valida sit, vide dissidentes inter se opiniones apud Stryckium iurid. diss. t. 4. disp. 25. c. 9. n. 26.

Arbitrorum est omnia definire, de quibus compromissum est, idque per sententiam definitivam. Non possunt tamen fines compromissi excedere. An sub generali compromisso contineantur questiones futuræ? An possint arbitri dilationem solutionis dare? An compensationem objectam admittere, verba sententia obscure interpretari, consule Voet. in Comment. ad Pandect. l. 4. tit. 8. n. 18.

Non sustineri pactum juratum de non petenda reductione ad arbitrium boni viri, tenet Sorge jurisprudent. tom. 8. cap. 34. n. 51.

De arbitrio feudali ad Stryckium iuridic. dissert. tom. 7. disput. 2. per tot.

In præsentia de causæ cognitione agitur, non quæ est

DD



à iudicibus, à principe, cui privative eorum competit nominatio, electis, facienda, sed à partibus; in iuris arbitris, eo quod per pactum hæc facultas concedatur, etiam à lege dependet saltem permissivè: in arbitratoribus ex sola partium constipatione; qua decisioni electi stare vellet promittunt; vid. verb. Clericus, vers. Consonat: verb. Forum, vers. Nullus ambigit: leg. 23. tit. 4. p. 3. 4. tit. 7. lib. 1. For. Reg. 5. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. 4. tit. 9. lib. 3. Recop. Cast.

Arbitrum denominari qui ad aliquod negotium æstimandum assumitur, concedi debet: leg. 9. tit. 5. p. 5. per quam præcipitur, in tertii voluntate, ut arbitretur, pretium rei venditæ posse conferri, cum ad aliorum recursu, si æqua non fuerit æstimatio; arbitrarii nomen meretur; quando opus constructur hac sub qualitate, ne pretium solvatur; usquequo domino opus placuerit; leg. 17. tit. 8. ejusd. p. 3. Arbitrator dicitur qui quomodocumque liberetur, de sua re disponere potest: non eget hoc assertum comprobatione.

Arbitri nomen utrumque comprehendit, tam juris arbitros quam arbitratores: vid. leg. supra adnot. l. 106. §. 107. tit. 18. 17. tit. 23. p. 3. illi in causa procedunt, ut iudices ordinarii, definitive eam determinando: vide add. hisp. in hoc verb. vers. Arbitri juris: nam arbitraria sunt ad instar iudiciorum redacta; isti autem, dum arbitramentum dolo vel malitia sit destitutum, sine aliqua juridica solemnitate, qua forma eis melius pro bono pacis visum fuerit, negotium terminabunt. Leg. 23. tit. 4. p. 3.

Majori ut claritas referantur circa hanc materiam disposita, primo personarum quæ compromittere possunt, fiet mentio: secundo de rebus, sic determinandis: tertio, de omnibus, ad horum iudicium qualitates respicientibus.

Omnibus, ante ordinariam per se seu procuratorem comparare valentibus, compromittendi est facultas: si minor vig. quinqu. ann. absque curatoris auctoritate compromisit, arbitramento aut laudostare non tenetur, fideiussor obligatus nihilominus est de pœna conveniendus: verum dicta auctoritate, qua curatorem non habebat, deficiente, minor manet adstrictus, inciditque in pœnam iudicio arbitrario non obtemperans, præterquamquod damnum sibi esse irrogatum probaverit; leg. 25. tit. 4. p. 3. recognoscit add. hisp. verb. Emptio, vers. Ab omnibus: in fine verb. Hypotheca, vers. Abs dubio: & verb. Ignorantia, vers. In civilibus: mirum videtur cum minor non habeat legitimam personam standi in iudicio leg. 7. §. 11. tit. 2. p. 3. 17. tit. 16. p. 6. vid. tit. 19. ejusd. p. ubi de minorum restitutione tractatur: nec quidquam efficere possit, auctoritate tutoris, vel curatoris non intercedente, præcipue dum in ejus dispendium dirigitur.

De qualibet controversia, inter partes orta, compromissum, causis exceptis, in quibus venit ex illi, aut sanguinis pœna irroganda, ad libertatem, servitutem, matrimoniumve tangentibus, fieri posse, lex 24. ejusd. tit. 4. p. 3. determinat: nec valet laudum aut arbitramentum, si de actione populari arbitrari intendatur: secus quando per procuratorem sine syndicum, speciale ad hoc mandatum habentem, compromittitur, tuncquidem sustinetur, quis sit effectus præcedentis doctrine: vide add. hisp. verb. Alimenta, vers. Ubi viget: verb. Murum, vers. Civitas: prope fin. leg. 3. §. 6. tit. 3. lib. 7. Ord. Reg. 1. t. 7. lib. 7. Recop. Cast. Ab uno ex compromittentibus nequit compromissum admitti; neque à iudice ordinario, de causa cognoscente, nisi istè ut compositor amicebilis: vide dict. leg. 24. eam confer. cum 17. tit. 5. lib. 2. 9. tit. 6. lib. 3. Recop. Cast. in addit. hisp. hujus verb. Arbitrator, vers. Quamquam: inveniuntur prædicta leges.

Quis à partibus electus compromissum acceptare poterit, etiamsi minor fuerit, major tamen quatuordecim: leg. 5. ejusd. tit. 4. p. 3. 4. tit. 15. lib. 2. Ord. Reg. 3. t. 9. lib. 3. Recop. Cast. ita ut nequeat revocari arbitramentum quoniam minoritas exponatur: etsi ad virgulum iustitiae obtinendum viginti annorum tempus in illiteratis requiratur completum, vigesimum sextum in iurisperitentiam proficientibus; leg. 2. tit. 9. lib. 3. ejusd. Recop. namquam ab accepta re nequeant resiliere, quod ab initio est voluntatis, ex post facto est necessitatis, leg. 1. tit. 8. p. 1. 29. tit. 4. p. 3. vid. leg. 2. tit. 16. lib. 5. Recop.

Causa in add. hisp. verb. Pactum, insertum.

Circa res, iuxta formam, & intra tempus, diebus feriatis, si juris arbitri fuerint, exclusis, nec non de fructibus, reique litigiosis redditibus, in compromisso assignata, arbitramentum sive laudum per ipsosmet electos vel nominatos, non per alium est pronuntiandum; de arbitris, aut compromittentibus uno mortuo, nisi ut procedant, signanter demandetur, si in religionem ingrediatur, servus sit effectus, exilium patiat, rei interitus acciderit, vel à petitione liberationem consequatur, quibuslibet ex antecedentibus præhabitis, facultas aut potestas finitur eorum; accepto compromisso, ut supra advertitur, per ordinarium iudicem sunt cogendi: & si discordia fuerit orta, quod major pars decreverit, attendi debet, utpote alius est nominandus; leg. 17. tit. 22. part. 3. vid. add. hisp. verb. Testamentum, vers. Discordias: leg. 27. 28. 29. 30. 32. tit. 4. p. 3.

Habent excusationem, ne possint ad pronuntiandum compelli, si alium arbitrum quaerent, sive ad iudicem ordinarium revertantur: ratione infirmitatis, magni præjudicii, aliave occupatione detenti; leg. 30. t. 4. p. 3. Jam cit. recusatus, probata recusationis causa, quamvis desisteret noluerit, nequit procedere, & est ad desistentiam cogendus; leg. 31. ejusd. Quod arbitrator sine temporis præfinitione ad implementum, intra quatuor menses effectum sortiatur: si non parerit, pœnaque est conventa, satisfieri debet: leg. 33. tit. ejusd. & p. non erit obtemperandum, si contra legem, bonos mores, mala fide, iniustusque probationibus fuerit arbitrium conlatum, ideò prædictis in casibus ac alio legitimo occurrente impedimento, pœnae immunitas conceditur, si arbitraria sententiæ non satisfiat; leg. 34. ejusd. Denique leg. fin. ejusd. tit. 4. §. p. 3. leg. 17. tit. 23. p. ead. decernitur (sine distinctione loquuntur) de eorum sententia non esse appellationem interponendam: secundum leg. 23. t. 4. p. 3. ad bonorum virorum arbitrium, à iudice ordinario eligendorum fieri debet recursus.

Omnibus his attentis, hic erit pronuntiandum, primo, quam certitudinem quatuor mensium designatio in se continet: secundo, qua forma reductio quo peti, & deducti post laudi, sui arbitramenti pronuntiationem valet, erit intelligenda.

Prædicti temporis assignatio nullam vim obtinet, quia sententia arbitraria leg. 4. t. 8. lib. 3. Ord. Reg. 1. §. 4. t. 21. lib. 4. Recop. Cast. habet paratam executionem, quare nullum tempus ad ejus implementum assignabitur: sed statim ac à parte ferit sollicitum, à iudice Ordinario expedire mandatum præcipitur, dum per scripturam, aut partium confessionem de laudo sive arbitramentum constituerit: vide verb. Appellatio, vers. His notatis: verb. Probatio, vers. Inter species: verb. Sententia, vers. Sententiæ: in add. hisp. leg. 1. cit. §. 1. 21. l. 4.

Circa secundum, præter determinatum à leg. 4. su præscripta nil aliud demonstrabitur, quæ quidem ut posterior leg. 19. tit. 1. p. 1. 238. styli normam constituet, nullum datur discrimen inter laudum, hoc est, sententiam à iuris arbitro, & inter arbitramentum, id est, ab arbitratore prolatam: petita executione, illico est exequenda, dum in eis non notetur excessus, præcedente securitate creditoris, quod, si per superiores prædicta sententia revocationem meruerit, fiet omnium restitutio virtute ipsius cum fructibus perceptorum: vid. add. hisp. verb. Appellatio, vers. Altera verò pars: dummodo de sententia arbitraria per boni viri reductionem reclamaverit: de illius nullitate intendenti, aliavne actionem seu remedium in iudicio exhibuerit: confirmatorie sententiæ in tribunal superioris, nullus recursus superest; verumtamen si iudicis inferioris idem fuerit iudicium, per confirmationem, aut revocationem arbitrariæ sententiæ, non denegatur appellatio: ad superiore recurritur, & per eam vel confirmatio seu reformatio obtinetur: si ista, supplicatur, si illa, aditus omni remedio præcluditur.

Andeò asserere, (Roeci pendatur) bene inspecta prædicta determinatione, in utraque sententia reductionem ingredi ante iudicem ordinarium petitam: appellationem in laudo tantum, non ad ordinarium, sed ad tribunal superius: nam si ad instar iudiciorum sunt redacta, si iur-

resic disponente, per partium consensum juris arbitri eliguntur, ferè consonat horum iudicium in causa compromissa cum Ordinarii iudicis privativa: nequit per consequens recursus ad eundem appellationis interponi, quia videntur æquari iurisdictiones, ferique debeat de inferiori ad superiore: è converso verò contra hujus recursus naturam impingitur; leg. 1. §. 18. tit. 23. p. 3. Non potest alienum à ratione hoc assertum videri, quando notoriè patet, parem in parem imperium non habere: quapropter unus iudex ordinarius ab altero de causis jam decisis, æqualem iurisdictionem habente, cognitionem assumere nequit: leg. 71. tit. 15. lib. 2. 20. tit. 3. lib. 5. Ind. nisi per legem aut legislatorem elargiatur. Vide pro conclusione hujus adnotationis quæ ultimæ articulo 4. præced. verb. Appellatio, ad num. 49. & reqq. sunt animadvertenda.

ARBOR CONSANGUINITATIS, ET AFFINITATIS. Vide verb. Impedimenta matrimonii art. 1. n. 34. §. 35. & verb. Affinitas n. 14.

ARCHIDIACONUS.

SUMMARIUM.

- 1. Arcum sacerdoti dignitas, & auctoritas amplissima, ad num. 6.
- 2. Ejus præcedentia supra Archiepiscopatum, ad n. 9.
- 3. Ejus officium, ad n. 19.
- 4. Consuetudines diversæ, ac inter se oppositæ in hoc proposito, ad n. 25.
- 5. Dispositiones variæ Sacrarum Congr. in eadem materia, ad n. 36.
- 6. Laureæ Doctoralis requisita in Archidiacono ad n. 40.
- 7. De Archidiacono, qui simul sit Protonotarius, ad num. 45.
- 8. De Archidiaconi præcedentia in concursu cum Vicario Generali, ad n. 48.
- 9. Differentiæ inter Archidiaconum, & Vicarium Generalem, ad n. 51.
- 10. Jura quædam, & prærogative Archidiacono vel sublatæ, vel interdicta, ad n. 62.
- 11. Subveniuntur additiones ex aliena manu, ad n. 94.

ARCHIDIACONUS sic dicitur est, quasi princeps Diaconorum, seu primus inter Diaconos; græca enim significatio Arbor denotat primum, seu principem, & Diaconus, ministrum, dist. 21. cap. Cleros, & Clericos. Et primis Apostolorum temporibus in singulis civitatibus Episcopaliibus septem Diaconi constitui solebant, ut constat ex cap. 6. Actuum Apostolorum, & ex cap. Diaconi 12. & cap. Diaconi septem 13. dist. 93. ex quibus, qui ceteris antiquior erat, appellabatur Archidiaconus, & ejus officium erat curare ut ceteri Diaconi rite suo munere fungerentur, ut inter alios refert Azorius part. 2. Institut. lib. 3. cap. 14. quest. 1. Postea verò Archidiaconi auctoritas est sic adauata, ut Vicarius Episcopi in omnibus esset, ut expressè dicitur in cap. Ut Archidiaconus 1. de offic. Archidiaconi, his verbis: "Ut Archidiaconus post Episcopum sicut se Vicarium esse ejus in omnibus &c." & cap. Ad hæc 7. eodem tit. dicitur: "Secundum verò romani ordinis constitutionem major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur." Et tenet Rota, part. 11. dec. 160. n. 22. & part. 14. dec. 189. n. 18. & 19. ubi dicit, Archidiaconum esse Vicarium Episcopi, licet non assumat ab Episcopo, sed tantum à jure habentem perpetuam vicariam, & ordinariam iurisdictionem.

Imò si exerevit Archidiaconi auctoritas, ut nedom Vicarius natus Episcopi fuerit constitutus, sed etiam Episcopi oculus appellatus, ut in epistola divi Clementis Papæ, cap. Diaconi ecclesie 7. dist. 93. Diaconi ecclesie sint tamquam oculi Episcopi; & in cap. Ad hæc 7. de officio Archidiaconi. Innocent. III. sic expressè ait Item in epistola B. Clementis Papæ prædecessoris nostri oculis Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per episcopatum prospiciens, quæ corrigenda vide-

rit, corrigat, & emendet. Et in epistola Evaristi, cap. Diaconi 12. dist. 93. Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi, & in Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. verb. Archidiaconi; Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi. Et ob hanc tantam suam elevatam auctoritatem, & dignitatem Archidiaconus antefertur Archiepiscopo, & Archiepiscopo Archidiaconi iurisdictioni subjacere tenetur, cit. cap. Ad hæc 7. de officio Archidiaconi; ubi sic expressè dicitur: Archiepiscopi, qui à pluribus Decanis nuncupantur, ejus iurisdictioni se non verint subjacere. Cum enim Archidiaconus ratione majoris iurisdictionis & ministerii immediatus ministret, & assistat Episcopo, quasi ipse Archiepiscopo, debet ei precedere, quamvis ordine sit ei inferior; sicut Cardinalis, ex quo immediatus assistant summo Pontifici, ut ejus administrent negotia, ratione hujus majoris officii, & administrationis præcedunt Episcopos ordine majores. Adeoque debet de jure precedere Archiepiscopo, quamvis non sit sacerdos, ut tenuit etiam Rota, part. 3. dec. 244. n. 2. & seq. Si tamen sit sacerdos, cum in tali casu sit par in ordine, & major in administratione, debet precedere Archiepiscopo, absente Episcopo, in celebratione missarum in diebus solemnibus, & aliis solemnioribus functionibus, prout decrevit Sac. Rit. Congr. in Regiensi, 9. Decembris 1600. his verbis: Censuit Sac. Cong. Archidiaconum dictæ ecclesie, qui prima dignitas post pontificalem existit, & sacerdos nunc est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate, & devotione in decantatione missarum in diebus solemnibus, & delectione Sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum, palmarum, & aliis hujusmodi actibus, & functionibus sacerdotalibus, Episcopo absente, præferendum esse Archiepiscopo, neque allegatam consuetudinem, quæ legitime probata non fuit, eidem Archiepiscopo ad excludendum Archidiaconum sacerdotem in casu, de quo agitur, suffragari. Sic etiam in Sanctæ Agathæ Gothorum, 23. Martii 1602. & in Juvencens. 17. Novembris 1607. & in Baren. 19. Januarii 1608. & in Pennensis. 24. Januarii 1615. & Rota part. 3. dec. 244. dec. 1609. in Viterbien. celebrationis Missarum.

Excipitur tamen casus, in quo de eadem cathedrali concurrat in funebribus Archidiaconus, qui est prima dignitas, & Archiepiscopo, qui est secunda, & cui incumbit cura animarum, & desert stola; quia cum Archiepiscopo, dum in ecclesia facit officium, præcedat Archidiacono, ei precedere debet etiam in via, nulla probata ex alterius parte consuetudine in contrarium; sic Sac. Cong. Rituum, in una Trojana, die 14. Maji 1613. declaravit tandam esse præcedentiam Archiepiscopo ratione stola, ut refert Lavor. verb. Lucubr. tom. 1. tit. 2. cap. 3. num. 211. Barbosa, juris eccles. univers. lib. 1. cap. 23. num. 23. Et de canon. & dignit. cap. 5. n. 49.

Multa de jure communi pertinent ad officium Archidiaconi: Primo: Clericis & Ministris ecclesie præcipere omnia ea, quæ ab ipsis iuxta suos gradus sunt obeunda, & de tertio in tertium annum, si Episcopus non possit, diocesim totam visitare, & cuncta, quæ emendatione, & correctione indigent, corrigere, & emendare; cap. Ut Archidiaconus 2. de officio Archidiaconi. Hodie tamen diocesis visitatio debet fieri per Episcopum, vel eo impedito per suum Vicarium Generalem quolibet anno, vel saltem quolibet biennio compleri, si diocesis sit nimis ampla & vasta; Trident. sess. 14. de reformatione, cap. 3. Secundo: Ad ipsum spectat ecclesiasticum, & divinum officium disponere, lectiones Clericis distribuere, Acolytos instituire, & omnes alios Clericos dirigere in iis, quæ in altaris ministerio agere debent; cap. Officium verò 2. eod. tit. Tertio: Ad Archidiaconum officium pertinet principaliter sacrorum vasorum, & ecclesie custodiam habere; cap. Ea quæ 3. eod. tit. Quarto: Ad ipsum attinet ecclesias sui Archidiaconatus semel in anno visitare, nec sæpius, nisi forte talis causa emerit, propter quam ipsum oporteat præfatas ecclesias visitare; cap. Mandamus 7. eod. tit. Quoad hoc tamen statuit Concil. Trident. citat. sess. 24. & cap. 3. quod Archidiaconi, Decani & alii inferiores in ecclesiis, ubi hætenus visita-